A. Lat. a.
1807.

a. Lat. a.
938 m. 1807 Statius

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

P. PAPINII STATII

AD

CALPURNIUM PISONEM

POEMATION.

P. PAPINII STATII

AD

CALPURNIUM PISONEM

POEMATION.

P. PAPINII STATII

AD

CALPURNIUM PISONEM

POEMATION.

AUCTORI VINDICAVIT, RECOGNOVIT

ET

ADNOTATIONE INSTRUXIT

CAROLUS BECK.

ONOLDI,
SUMPTIBUS ET TYPIS C. BRUEGELII.
MDCCCXXXV.

Wl
B.

P. PAPINII STATII

AD

GALLICUM PISONEM

POEMATION.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Bayerische
Staatsbibliothek
München

PRAECEPTORIBUS ACADEMICIS

FRIDERICO THIERSCHIO

ET

LUDOVICO DOEDERLINO

D. D. D.

EDITOR.

EDALEH

D. D. D.

FUDOAICO DOEDEUFIJO

EL

LEIDEBICO LHIEBSCHIO

MVECELLONIUS ACADEMICUS

Praefatio.

Miseranda fuit veterum scriptorum et Graecorum et Romanorum fortuna, quippe quorum pauci tantum ex ingenti numero integri ad nos pervenerint, plerique vero temporis injuria aut plane interciderint, aut ex parte tantum deformatique servati sint. Sed cum communis haec calamitas in praestantissimo quoque veterum scriptorum maxime deploranda sit, tum aliis etiam casibus, quominus penitus cognoscerentur illorum libri a posteriorum saeculorum hominibus, effectum est. Mitto, quod illorum verba et a grammaticis et a librariis mirum in modum corrupta sunt, ita ut longe ab ea, quam primo fuisse verisimile est, forma recesserint. Illud autem non paucis praeter ceteros miserum accidit, quod non raro detracto illis vero auctorum nomine falsum appositum est, nonnunquam autem auctorum prorsus nomen periit: qua re factum est, ut interdum sub boni alicujus scriptoris nomine deterioris notae libri circumferantur, ita ut miro quodam modo et bona et mala ab uno eodemque homine composita esse videantur.

Atqui scriptores veteres non solum per se ipsi ob singularem praestantiam summa omnium saeculorum laude digni sunt, sed etiam hoc ma-

xime nomine censentur, quod quasi solum et fundamentum sunt, quo totius antiquitatis cognitio nitatur, utpote ex quibus universum populorum antiquorum vitae genus resque gestae eruantur, quarum rerum disciplinam et ipsam manifestum est philologiae partem esse gravissimam. Quam multa igitur in his ipsis rebus obscura sint et errorum plena necesse est, si perturbatis veterum scriptorum operibus et diversarum aetatem scripta commisceantur et diversorum scriptorum libri ad eundem auctorem referantur? Illud enim omnium primum facile intelligitur, serioribus scriptoribus, praesertim fraudatoribus, non eandem fidem auctoritatemque tribui posse, quae iis debeatur, qui revera antiqui fuisse reperiuntur. Deinde cum diversi scriptores ingenii diversitatem operibus suis exprimant, plurimum refert, tragoedia certa quaedam Sophocli adjudicetur an Euripidi, dialogus philosophicus Platoni an alii cuidam philosopho, oratio Lysiae an Isocrati, Demostheni an alii cuidam oratori. Neque vero minus refert, scriptor aliquis hoc an illo saeculo vixisse existimetur, propterea quod cum temporum conditione totum plane et sentiendi et dicendi genus mutari solet. Itaque cum suo quisque peculiari dicendi genere usus sit veterum scriptorum, fieri non potest, ut certo modo percipiatur singulorum dicendi genus, si diversorum unius aetatis scriptorum aut, quod

indignius etiam est, diversarum aetatum libri ad eundem auctorem referuntur. Haec si non acriter distinguantur, plurima in omnibus philologiae disciplinis incerta et dubia manere facile perspicitur.

Nata igitur hinc *altior critica* est, ars difficillima, sed eadem longe pulcherrima, quae quidem in eo versatur, ut discussis tenebris, quibus veterum librorum habitus obtegitur, dijudicet, dignusne certus aliquis liber eo scriptore sit, cui adtribuitur, nec ne, atque illud praecipuum ejus officium est, ut eorum scriptorum, de quibus nihil aliud constat, vel eorum librorum, quibus aut nullum aut falsum auctoris nomen praefixum est, aetatem constituat.

Ac profecto etsi multa jam in antiquitatis studiis summorum criticorum ingenio et opera illustrata sunt, tamen etiamnunc in hoc genere plura reliquuntur dubia, quam quis prima specie putaverit. In hoc enim adhuc doctorum hominum opera substitit, ut, id quod sane omnium primum critices munus fuit, certa quaedam scripta bonae aetatis scriptoribus indigna et serioribus scholasticisque hominibus tribuenda esse docerent. Ad eos autem utriusque linguae scriptores, qui recte *classici* vocantur, accuratius perscrutandos aut nihil omnino pertinuit eorum industria, aut parum certe ea profectum adhuc est. Velut quod recentiore aetate tertius Tibulli liber Lygdamo vindicatus

est, hunc librum non minus, quam quartum Tibullo indignum esse existimandum recte vidit Vossius. Sed ne sic quidem absoluta ea quaestio est, propterea quod illud quaerendum reliquit, utrum aequalis aliquis Tibulli carmina illa composuisse censendus esset, an seriori aetati essent attribuenda. Itaque vix ullus adhuc liber exstat, qui, cum falso scriptoris alicujus nomen gereret, vero auctori redditus sit, etiamsi jam docti aliquot viri de eo dubitare et de vero auctore sentire aliquid coeperant. Multo autem plures etiamnunc reperiuntur, de quibus omnem denuo quaestionem institui oporteat, cum de his ne minimum quidem suspicari videantur critici. Et hoc quidem critices genus, quod interdum exercitum esse videmus, ex quo scriptoribus, quorum nullus praeterea liber superest, certi quidam libri attribuuntur, cum omni idonea ratione careat, improbandum prorsus est. Illud autem in huius modi quaestionibus neglectum adhuc mirifice a philologis est, ut viderent, utrum certi quidam libri revera incertis scriptoribus essent attribuendi, an gravibus de causis notis scriptoribus vindicandi, quam perturbationem grammaticis aeque ac librariis assignandam esse facile intelligitur. Ac dici vix potest, quanta timiditate plerumque adhuc ad has res aggredi soliti sint critici. Nam etsi illud facile ab omnibus conceditur, opera ab eodem auctore composita naturaliter summam praeferre

similitudinem, atque id verbi causa in Ciceronis operibus facile probari licet: praefixis tamen scriptorum nominibus ita perturbantur hominum judicia, ut verum unquam de talibus rebus investigari posse desperent. Atque illud quidem omnium maxime negant, ex singulis, quos vocant, locis parallelis continuo posse concludi, diversos libros ab eodem auctore scriptos revera existimari debere; neque injuria, si pauci tantum reperiuntur. At si praeter reliquam ingenii animique similitudinem summa inter duos libros intercedit dictionis similitudo, tum vero jure meritoque majus quiddam colligitur. Hoc qui negant fieri posse, negent iidem necesse est, v. c. fieri unquam posse, ut quibus in rebus discrepent inter se Sophoclis et Euripidis tragoediae, intelligant, quod quin se omnes facile intellectu esse dicturi sint, nihil dubium est. At quantopere neglecta adhuc ea res sit, inde intelligi licet, quod, ut insigne exemplum afferam, Trachinias, quae fabula recte jam a viris nonnullis Sophocli abjudicata est, nemo adhuc ab Euripide scriptas esse aut intellexit aut dicere ausus est, cujus ceteris fabulis et ad universam compositionem et ad dictionem simillima est. Ne Ovidii quidem Consolationem ad Liviam, quam ipsae editiones principes sub Ovidii nomine exhibuerant, etsi eandem similitudinem praefert, quam ceteri Ovidii libri, Ovidio vindicare ausi adhuc viri docti

sunt, sed etiam nunc Albinovanum quendam fingunt, cujus paucis illis versibus, qui a Seneca rhetore servati sunt, dissimilis prorsus dictio in carmine illo reperitur. Opportune autem non raro in hac ipsa re usu venit, ut in hujusmodi libris talia argumenta insint, ut ob ipsas temporum et hominum rationes, quae ex illis eruuntur, receptae tandem aliquando excuti debeant opiniones. Ac ne perturbari quidem in talibus quaestionibus debent critici, si libris ejusmodi scriptoris praefixum nomen est, de quo neque ex ipso quidquam constet, neque ex aliis scriptoribus, aut quem verum auctorem esse non potuisse appareat. Sola enim omnium diversarum aetatum scriptorum cognitio, plenissima rerum veterum notitia, subtilis denique judicandi vis illis praesidiis subnixa sufficere criticis debent, ut, missis nominibus, quid de singulis scriptoribus, de librorum praestantia et aetate statuendum sit, nullo negotio dijudicent. Nec vero est, quod quis in hac re minus nos efficere posse existimet, quam criticos Alexandrinos, quos primos hoc critices genus factitavisse constat. Tanti enim sunt ab illis, licet minimo essent temporis intervallo a praestantissimis illis Graecorum ingeniis disjuncti, in constituenda librorum authentia commissi errores, ut jam nunc acri attentione opus sit ad singula illorum judicia examinanda. Hi enim et ipsi critici ejusmodi libros nacti sunt,

quorum aut nullum auctorum nomen extaret, aut quibus falso addita nomina esse arbitrarentur. Qua in re cum suo prorsus judicio usi sint, illud jam nunc nobis dispiciendum reliquerunt, recte an secus ab illis administrata res esse videatur.

Itaque per nos sapere oportet, nec quidquam curare, quod jam fere inde a Christo nato libri nonnulli falsis auctoribus assignati sunt. In quo quidem genere quantopere antiquissimis jam temporibus erratum sit, ex Romanis scriptoribus insigne testimonium Plautus est, cui jam Ciceronis aetate teste Gellio III, 3, multae fabulae tributae sunt, quae non ipsius, sed aliorum erant. Tum Varro, judicii norma in internoscendis veris falsisque fabulis usus ipso Plauto, moribusque ingenii ac lingua illius, multas jam aliorum nominibus occupatas Plauto vindicavit.

Huc eodem igitur etiamnunc philologos progredi et posse et debere judico, et summae veterum scriptorum notitiae laude decorandum puto, si quis aliquando ita se in illorum libros insinuaverit, ut non solum vera et notha facillime discernat, sed etiam incerta scripta auctoribus suis reddat, quam eandem artem olim etiam in internoscendis artis operibus viguisse satis constat. Sic Statius Silv. IV, 6, 25 sqq. de Nonio Vindice

„Quis namque oculis certaverit usquam
Vindicis, artificum veteres cognoscere ductus,
Et non inscriptis auctorem reddere signis?“

Neque vero timeo, ne quis in contemtum venturas esse litteras antiquas putet, si ejusmodi libri, de quibus nemo adhuc dubitavit, gravibus ex causis repente auctoribus suis detracti aliis iisque notis vindicabuntur, de quibus nemini antea in mentem venerat. Neque enim vano ludibrio fieri talia possunt, sed certos fines habet haec res, quos ultra citraque, ut Horatii verbis utar, nequit consistere rectum. Uno in hac re veritatis studio duci debent philologi, et abjectis opinionibus, quas inde a pueris imbiberant, omnia veterum scripta denuo perlustrare, ut tandem aliquando sui cuique libri postliminio reddantur, qua eadem re plurimos gravissimosque errores sublatum iri certo confido.

Ejusmodi igitur scriptores, de quorum aetate, cum diversissimae ad hoc tempus propositae sententiae fuerint, omnis denuo quaestio institui debeat, e Romanis, ut intra hos hoc loco subsistam, sunt Quintus Curtius Rufus, quem misere corruptum scriptorem aliquanto emendatiorem editurus sum de ejusque aetate certiora prolaturus, Petronius, Calpurnius, alii.

Ad illorum autem genus librorum, de quorum ad hoc tempus non aetate magis, quam de auctoribus disputari debere videbatur, referuntur dialogus de oratoribus, qui a plerisque hujus aetatis

philologis cum libris manuscriptis Tacito tribuitur, a me autem brevi gravibus de causis ex parte nondum allatis post Nastium (neque enim Hessii commentationem vidi) Plinio juniori vindicabitur, et carmen ad Calpurnium Pisonem, vulgo Lucano vel incerto cuidam poëtae adscribi solitum, cujus, cum id omnium primum edere mihi placuerit, ut Statium auctorem habendum docerem, omnibus modis enixus sum.

De hujus igitur carminis Mss. et editionibus pauca mihi jam dicenda video.

Etenim cum corruptum hoc carmen ad nos pervenerit, tum ne subsidia quidem multa ad illud emendandum reperiri videntur. Et omnium quidem primum illud tenendum est, sexto demum decimo saeculo carmen nostrum ex codice quodam manuscripto expressum esse videri. Neque enim adhuc typis impressus liber ullus repertus est vetustior, in quo hoc carmen legatur, quam Micylliana Ovidii editio, quam anno 1549 typis expressam esse constat. Sed tamen felici quodam casu antiquioris Ovidii Amatoriorum editionis, quae anno 1534. Basileae apud H. Petr. prodiit, inspiciendae atque conferendae copia mihi facta est, ex qua a Micyllo carmen nostrum in editionem ipsius translatum puto. Sed haud scio, an ne haec quidem ipsa editio primum carmen illud exhibuerit, sed ex antiquiore quadam repetierit, quam

tamen investigare mihi nondum licuit. In hac igitur Ovidii editione carmen nostrum pessimo modo habitum legitur, utpote miris omnis generis interpolationibus refertum. Itaque opportune cecidit, quod Hadr. Junius in Animadversionibus ann **1556** editis totum carmen denuo ex codice bibliothecae Deiparae Virginis Atrebatensis a Marillonio cum ipso communicatum describendum curavit. Is textus multo meliores lectiones exhibet, quam prior illa editio, versusque isti duodecim, qui antea post versum **70.** legebantur, primum post versum **249.** repositi sunt. Nihil fere ab Junio discessit Josephus Scaliger, qui anno **1573** hoc carmen paucis adjectis notis in appendicem Virgilianum recepit. Ipse quidem jactat codicem manuscriptum, sed is ab Juniano haudquaquam diversus fuisse videtur. Ab eo inde tempore frequentius edi carmen coeptum est, et si discesseris a Bersmannania Ovidii editione, fere semper Lucano additum, sub cujus nomine Junii codex illud exhibuerat. Et plerisque quidem locis Micylli lectionem adscivit Bersmannus, ita tamen, ut in margine ceterarum editionum varietatem notaret. Sicubi Junii Scaligeri et Pulmanni editiones consentiebant, notavit: tres libri. Junium autem et Scaligerum secutus maxime Cortius est, qui anno **1726** hoc carmen Lucano suo addidit, cui viro, dolendum est, quod de lectionis fontibus parum con-

stitit, quippe qui eo, quod varias lectiones nota: *alii* apposuit, non mediocriter posteriores editores fefellerit. Mox Wernsdorfius nihil mutato Cortii textu carmen nostrum in Poëtarum Latinorum Minorum vol. IV. recepit. Is apposuit quidem Junii lectionis varietatem, sed eguit Micyllo, ut Cortii notas nec supplere posset neque emendare. Paulo post Hnr. Godofr. Reichardus in Syllogen Opusculorum Veterum Poëticorum, quam edidit Lipsiae 1793, carmen nostrum paucis notis instructum recepit, et ipse a Cortii recensione uno tantum vel altero loco digressus. Postremus apud nostrates Guilielmus Ernestus Weberus in Corpus Poëtarum Latinorum uno volumine absolutum, quod edidit Francofurti ad Moenum 1832, et ipse ex Cortii recensione carmen recepit, mutata tantum duorum locorum lectione. Lemairius autem quid praestiterit in repetita Wernsdorfii Poett. Lat. Minorum editinoe, quod adire mihi eum librum non licuit, nescio equidem. Itaque ego cum denuo emendandum hoc carmen suscepissem, simulque quasi principem Statiani carminis editionem exhibere vellem, ante omnia plenam lectionis varietatem adponendam esse arbitratus sum, unde universa textus origo explicaretur. Justa enim hujus carminis recensio tum demum confici poterit, quum integrior aliquando codex manuscriptus repertus fuerit, cujus ope textus melius conformari possit, quam fieri ad

huc potuit. Interim satis habui hic illic emendatius exhibuisse carmen, cum aliquot locis adhuc perversissimae essent lectiones receptae.

Adnotationis meae ratio ex instituto meo aestimetur velim. Etenim cum illud propositum mihi esset, ut Statium hujus carminis auctorem esse probarem, plurimae mihi dictionis similitudines colligendae fuerunt, quas inter hoc carmen et cetera Statii scripta intercedere animadvertissem.

Ceterum sciant licet viri docti, nihil me scientem celasse eorum, quae in criticorum libris ad hoc carmen pertinentia invenerim. Si quid tamen alicubi legatur, quo uti non potuerim, ignoscent profecto aequi judices homini nequaquam exoptata librorum supellectile instructo, et qui aegre adhuc caruerit majorum bibliothecarum subsidio.

Aequis igitur animis accipite, lectores, hunc libellum, quem operae ejus specimen esse volui, quam, cum huc maxime natura tulerit, in his literis posui, et quarum, cum absolutis studiis academicis per plures deinceps annos umbratilem quasi vitam secutus essem, eodem ardore, quo ipse eas amplexus sum, tradendarum munus subire paratum me profiteor.

Scripsi Onoldi prid. Id. Mart.
anni MDCCCXXXV.

Prolegomena.

Carmen ad Calp. Pisonem scriptum a poeta juvene est, qui, cum ipse in egestate versaretur, Calp. Pisonem, nobilissima gente ortum, tamquam patronum adit eumque rogat, ut quemadmodum alii indulgentiam ejus experiri soleant, sic in ipsum quoque Maecenas sit, seque e tenebris in lucem protrahat. Facit autem hoc ita poeta, ut per totum carmen multis modis Pisonem celebret, dum claram ejus originem, summas ingenii dotes, eloquentiae forensis vim, poëtices denique studium laudat. Quin etiam privatam ejus vitam laudibus effert, Pisonemque in remissionibus miratur. Hujus igitur nobilitasis non levem commemorationem esse rati viri docti saeculi 16. de Pisone illo cogitaverunt, quem conjurationis in Neronem crimine anno 818 U. C. cecidisse constat, quam opinionem confirmari prorsus putaverunt ipsis veterum de hoc Pisone locis, qui deinceps adponentur. Et nobilissimus quidem de hoc Pisone locus apud *Tacitum* legitur Annal. XV, 48: „Is Calpurnio genere ortus ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus, claro apud volgum rumore erat per virtutem aut species virtutibus similes. Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicus et ignotis quoque comi sermone et congressu. Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies. Sed procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia: lenitati ac magnificentiae et aliquando luxu indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine summum imperium non restrictum nec perseverum volunt.“

Similia et nonnulla peculiaria habet scholiastes Juvenalis Sat. V, 109: „Piso Calp. — ex antiqua familia, scenico habitu tragoedias actitavit, in latrunculi usu tam perfectus et callidus, ut ad eum ludentem curreretur. Ob haec insinuatus C. Caesari, repente etiam relegatus est, quod consuetudinem pristinan uxoris, abductae sibi ab ipso, deinde remissae repetiisse existimabatur. (Cf. Sue-

ton. Calig. 25.) Mox sub Claudio restitutus et post consulatum materna haereditate ditatus magnificentissimus vixit; meritis (?) sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotannis ad equestrem censum dignitatemque provehere.“

Hos locos si inter se contulerimus, nihil profecto in hoc carmine reperiemus, quod a Pisone Neroniano alienum sit, atque etiam nonnulla ejusmodi sunt, ut ad unum illum Pisonem pertinere videantur, velut liberalitatis commemoratio, quam eximiam fuisse in Pisone compluribus aliis veterum locis satis apparet. V. locos a Wernsdorfio allatos Juvenal. Sat. V, 108. sqq.

Nemo petit, modicis quae mittebantur amicis
A Seneca, quae Piso bonus, quae Cotta solebat
Largiri; —

Mart. IV, 40, seqq.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
Et docti Senecae ter numeranda domus;
Praetulimus tantis solum, te, Posthume regnis.
Pauper eras et eques, sed mihi Consul eras.

Addendus idem XII, 36, 8. sqq.

„*Pisones, Senecasque Memiosque*
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus ultimus bonorum.“

Sed quamquam de hac re satis constat, illud tamen minus a viris doctis constitui potuit, ad quemnam annum Pisonis ille esset consulatus, qui commemoratur v. 70, referendus. Etenim ab uno Juvenalis scholiasta Pisonis consulatus memoratur sub Claudio gestus. Fastorum tantum consularium auctores, ut refert Wernsdorfius, et in his Onuphrius Panvinius Fastorum libro II, A. U. 801. cum Lucio Vitellio ex Calendis Juliis Pisonem suffectum fuisse probaverunt ex antiqua inscriptione. Longe diversam viam ingressus decem annis post, A. U. 810., Pisonem consulem fuisse statuit Justus Lipsius ad Taciti Ann. XIV, 14. Sed jam Wernsdorf. monuit, confusum sibi videri a Lipsio Pisonem nostrum cum alio L. Calp. Pisone, qui illo anno consul cum Nerone Caesare II. fuerit. Adsensit Lipsio Ryckius ad Tac. Ann. XV, 48, ita ut illi L. nostrum C. Calp. Pisonem sive fratrem sive patruelem inde a Calend. Jul. successisse existimet.

Atque hoc ipso loco in difficultatem non sane exi-

guam incidimus. Illud enim ex carmine nostro intelligitur, juveni Pisoni contigisse consulatum, qui quin primus illius consulatus fuerit, dubitari non potest. At nescimus, quot annos natus tum fuerit Piso, quum est occisus. Ex lege enim annali Consul fieri potuit Piso 43. aetatis anno, recteque tum juvenis appellatus est a poëta nostro, sed serioribus annis non item juvenem appellari potuisse Pisonem facile intelligitur. Relinquitur ergo illud unum, ut multo ante conjurationem illam scriptum esse carmen existimetur, ex quo quam parum ea res adhuc ad liquidum perducta sit, nec perduci unquam posse videatur, satis apparet.

Sed acriore contentione disputatum inter doctos homines est, quisnam hujus carminis auctor fuisse existimandus esset. Et in Petri quidem editione incerto poëtae adscriptum carmen legitur. Sed paulo post viri docti Lucanum hujus carminis auctorem esse putaverunt, qui praesertim per temporum rationes facillime ejus auctor existimari poterat. Cujus quidem rei omnis exempta dubitatio videbatur, quod Hadr. Junius diserte in libro suo manusc. carmen ita se inscriptum invenisse testatus erat: Lucani poëma ad Calp. Pisonem ex libro Catalecton. Mox Jos. Scaliger in Appendice Virgiliano p. 299. et Petr. Pithoeus Emend. ad poem. vett. p. 260. alterum quendam cod. memoraverunt, in quo carmen ita inscriptum esse dicerent: „Lucani Catalecton de laude Pisonis.“ Et hunc quidem cod., cum nullam praeterea lectionis varietatem enotaverit Scaliger, non diversum fuisse videri ab Juniano, in praefatione recte censuisse nobis videmur. Omnium primum impugnata ea sententia a J. Lipsio est, qui ad Tac. Ann. XIV. 14. haec scripsit: „ille quicunque poëta ignotus fuit, obscura domo, fortuna tenui, et humilius blanditur Pisoni, quam ut decuerit Lucanum. Ait ecce:

„*tu, Piso, latentem*
Exsere: nos humilis domus et sincera parentum cet.“

At Lucanus certe notus, celeber: per se, perque uxorem praedives. Adde Senecam patruum in aula, qui huic humili et tenui protendere manum potuisset prae Pisone.“ Addidit in hanc sententiam apte Wernsdorfius locum Juvenal. VII, 80 sqq.

Contentus fama jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis; at Serrano tenuique Saleio
Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?

Et haec quidem omnia quin recte disputata sint, nihil dubium est. Sed multo gravius, cur Lucanus huius carminis auctor existimari non posset, argumentum viri docti illud attulerunt, quod vix ulla sublimis illius spiritus vestigia in hoc carmine reperiri posse dicerent, qualis in Lucani Pharsalia cerneretur. Ita cum judicasset jam C. Barthius, minime ille quidem huius carminis contemptor, simile prorsus recentiore aetate judicium tulit Oudendorpius in adnototione X. ad Lucani vitam e commentario antiquissimo, cuius haec verba apposuit Wernsdorfius: „Stilus eius carminis languidus et repens a genio Lucani nostri adeo alienus est, ut dubitare vix queam, quin hoc carmen alium quemvis, quam Lucanum, habeat auctorem, forsan Statium.“ Quibus argumentis addi potest, quod illa aetate, qua Lucanus viginti annos natus erat, i. e. a. 61. post Christum natum, sine dubi non jam iuvenis erat Piso ille.

Itaque alii critici incerto cuidam poëtae poemation nostrum adtribuere satius esse duxerunt, velut Marklandus ad Stat. Silv. II. 6, 11.; Ruhnkenius ad Vell. Pat. 1, 4.

Nihilo tamen minus paulo post verum auctorem indagasse sibi visus est Wernsdorfius iisdem illis versibus Juvenalis VII. 79 sqq., quos supra adposuimus. Satis aperta his versibus continetur Saleii tenuitatis commemoratio, quem ut inter clarissimos aetatis illius poetas landari videmus (v. Quinctilian. Jnstit. Orat. X. 1, 90. Plinii. dial. de Oratoribus c. V. u. IX.), ita eundem egenum fuisse ex eiusdem dialogi c. IX. satis perspicimus, ubi illum a Vespasiano quingentis sestertiis donatum fuisse legimus. His ipsis igitur rationibus permotus Saleio Basso vindicare hoc carmen non dubitavit Wernsdorfius, licet nullus certus eius poëtae versus supersit, eumque secutus Weberus nuper in Poetarum Latinorum Corpore et ipse carmen hoc sub Saleii Bassi nomine edidit. Sed haud scio an plane rejici haec sententia debeat. Et omnium quidem primum illud adversatur huic opinioni, quod ex Quinctiliani verbis aperte colligitur, in summa senectute mortem obiisse Saleium Bassum. Eam autem mortem in Domitiani imperium incidisse satis manifestum est. Si igitur carminis nostri auctorem nondum vicesimum aetatis annum egressum fuisse reputaverimus, quum hoc carmen scripsit, ut de se ipse dicit v. 249, et Pisonem juvenem dici v. 32. et 199; propter haec ipsa vix auctorem huius carminis ha-

beri Saleium posse facile apparet. Quod si Saleium, utpote senem, anno fere nonagesimo post Ch. n. mortuum esse statuimus, natum eum fuisse necesse est certe anno 20. p. Chr. n., Pisonis autem consulatum si ad annum 801. referimus, id quod et ipsum incertum est, tum jam 29 annos natus Saleius fuit. Nullo igitur modo, hoc si ita se habet, circa annum 810. U. C. scribi a Saleio Basso carmen potuisse facile intelligitur.

Dignum autem ut Saleio hoc carmen esse judicaret, Wernsdorfius, his maxime rationibus adductus est, quod mirum ingenii flumen et spiritum non vulgarem in hoc carmine reperisse sibi videbatur, ita ut Bassi gloriam maxime ex hoc carmine, utpote prima iuventa scripto, ortam esse judicaret. Quod permirum judicium est. Nam cum nihil servatum sit ex Saleii carminibus, incertum omnino est, num vere judicaverit Quinctilianus Jnst. Orat. X. 1, 90., qui dicit: „Vehemens et poeticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum.“ Jn nostro certe carmine vix tenuia similis ingenii vestigia deprehendi, post Lipsium et Oudendorpium vere mihi statuere videor.

Itaque etiam de huius carminis auctore aeque incerta omnia et dubia fuisse videmus, neque ad hoc tempus certus eius reperiri potuit auctor. Sed quid? si accuratius etiam inquirendum nobis erit in rem a criticis plane neglectam, num necessario statuendum nobis sit, Pisonem illum significari Neronianum?

Non dissimulare hoc loco debeo, jam Casp. Barthium, hominem ad mutandas opiniones sane proclivem, ad Claudiani Laud. Stilich. I. 28. suspicatum fuisse, carmen scriptum esse ad Calp. Pisonem, quem tertio decimo Traiani anno consulem fuisse constat, adeo ut haud exiguum inter utrumque Pisonem sit tempus interiectum. Scriptum autem carmen putat a Calpurnio quodam, qui ipsum C. Pisonem cognatione adtigerit. Et hanc quidem opinionem absurdam esse recte judicavit Wernsdorfius, his quidem verbis: „Si Calpurnius quidam fuit auctor carminis, fuit gentilis Calp. Pisonis, ad quem laudata etiam summa nobilitate generis scribere de semet ipse non potuit v. 242. sqq.

Nos humilis domus et sincera parentum,
Sed tenuis fortuna sua caligine celat.

Ceterum cum jam C. Barthio non necessaria causa exstare visa sit, cur de Neroniano utique Pisone cogi-

taretur, tractandum mihi porro est, quid tandem causae fuerit, cur ad hunc potissimum, ac non ad alium quendam Pisonem scriptum carmen esse hoc existimaretur? Nempe, opinor, quia, quam Pisonis in latrunculorum usu sollertiam celebravit poëta noster, hanc eandem diserte praedicat Juvenalis scholiastes loco, quem supra adposuimus. Neque enim profecto aliud quidquam inest in hoc carmine, quod non idem de quolibet alio Pisone scribi potuerit. Sed utinam haec ipsa scholiastae verba accuratius considerassent viri docti! Dicit autem scholiastes, accurrisse populum ad Pisonem latrunculis ludentem. Quis tandem hoc credit? Quonam currerit populus? Nam latrunculorum quidem certe lusus manifesto non in publico est exerceri solitus: pilaris autem lusio et armorum exercitationes, quas antea commemoravit poëta, in campo Martio peragebantur. Unde Horat. A. P. 379 sqq.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilae discive trochique quiescit,
Ne spissae risum tollant impune coronae.

Num igitur populum in Pisonis domum accurrisse putabimus, ubi sine dubio ille exercebatur? Quin imo manifestum est ab inepto scholiasta confusa esse omnia. Sed videor mihi tamen, unde hoc acciderit, intelligere. Poëta enim noster v. 178 sqq. Pisonem literarum studiis fessum lusibus animum advertere solitum dicit. Atqui antea jam inde a v. 166. celebraverat miram Pisonis in armorum exercitationibus artem. Permirum igitur, nunc demum enumerare poëtam, quae absolutis studiis exercere solitus sit Piso, cum ea jam post v. 166 inserere debuerit. Haec omnia egregie convenient, si v. 167. usque ad v. 177. incl. post v. 196. transponantur. Hoc ordine si ab initio versus locatos fuisse reputaverimus, satis apparebit, a stolido illo homine verba illa v. 176. sqq

Haeret in haec populus spectacula, totaque ludos
Turba repente suos jam sudabunda relinquit,

quae ad armorum tantum exercitationes et pilam referuntur, ad latrunculorum etiam lusum relata esse. Haec si ita se habent, unam ex praecipuis illis causis excussam esse intelligitur, quibus moti viri docti adhuc a Pisone Neroniano divelli non potuerunt.

Multo enim accuratius, quam factum adhuc est, quodnam hujus carminis consilium fuerit, considerandum viris doctis est. Etenim poëta Pisonem, cui se commendat, ideo vel maxime laudat, quod non contentus natalium splendore majores suos virtute aemuletur et provocet. Ac Pisonum gens in nobilissimis fuit Romanae civitatis. Jam vero ut quisque maxime majorum nobilitate et splendore excellit, ita maximi ei tribuuntur honores, etiamsi illum ipsum iis minus dignum esse manifestum sit. Illud igitur si poëtam assequi voluisse reputaverimus, quod magnopere expetebat, ut Pisonis sibi gratiam conciliaret, statuere et possumus et debemus, justo etiam majoribus laudibus a poëta nostro ornatum fuisse Pisonem. Ac peropportune locus mihi succurrit. Plinii Junioris Epist. V, 17., ubi is in Calp. Pisonis auditorio se fuisse scribit, qui poëma quoddam recitaverat. Haec autem sunt Plinii verba: „Recitatione finita multum ac diu exosculatus adolescentem, qui acerrimus stimulus monendi, laudibus incitavi, pergeret, qua coepisset, lumenque, quod sibi majores sui praetulissent, posteris ipse praeferret. Gratulatus sum optimae matri, gratulatus et fratri, qui ex auditorio illo non minorem pietatis gloriam, quam ille alter eloquentiae tulit. Tam notabiliter pro fratre recitante primum metus ejus, mox gaudium eminuit.“ Hic locus, in quo item duorum Pisonum mentio fit, persimilis nostro est, in quo eodem modo compluribus locis ut majorum Pisonis nobilitatem celebravit poëta, ita juvenem admonitionibus incitat, velut v. 32 sqq.

Quin age, majorum, juvenis facunde, tuorum
Scande super titulos et avitae laudis honores,
Armorumque decus praecede forensibus actis.

Et illum quidem Pisonem natu majorem fuisse facile intelligitur, quem adfuisse recitanti legimus. Sed ex his major tantum natu is fuisse existimari potest, ad quem carmen scriptum fuerit. Nam quo minus recitantem Pisonem significari statuamus, deterrere nos debet ipsum illud nimium aetatis discrimen, quod inter Pisonem Neronianum et Plinianum intercedit, quem verisimile est eundem esse, quem supra tertio decimo Trajani anno Consulem fuisse diximus. Sed tamen cum nihil certi de ea re statui liceat, fieri sane potest, ut Noster

is potius sit, quem Martialis significavit V. 54, de rhetore quodam haec scribens:

Extemporalis factus est meus rhetor.
Calpurnium non scripsit et salutavit;

quae verba de Pisone Neroniano perverse dicta esse putabat Wernsdorfius, immemor prorsus, sub Domitiano demum epigrammata sua scribere coepisse Martialem. Ceterum quonam modo Piso noster cum Neroniano cognatione conjunctus fuerit, jam nunc statui non licet: late autem patuisse Pisonum gentem satis constat. Quod vero Pisonis alicujus consulatus hac aetate gestus nusquam legitur, fortuitum id magis videri debet, quam ut inde nullum illa aetate Pisonem consulem fuisse colligi possit. Quid enim, ut hoc utar, de Agricolae consulatu sciremus, si quo casu intercidisset vita ejus a Tacito perscripta? Accedit, quod Pisonem consulem suffectum fuisse verisimile est.

Sed porro considerandum est, quid de carminis auctore statuendum sit.

Verum, ut opinor, viderunt C. Barthius et Oudendorpius, qui Statii carmen esse putaverunt, quam eorum opinionem non jam pridem diligentius examinatam esse mirari satis non queo. Et primum quidem virorum illorum judicia adponam, ut quid illorum uterque de hoc carmine senserit, possit intelligi. Barthius igitur, cujus mirifice fluctuabat ingenium, Statio hoc carmen tribuit ad Silv. V, 2. pag. 416. his verbis: „Similia sunt in carmine ad Pisonem, — quod nobis aliquando adolescentulo Papinio adscribendum videbatur, cui rei minime contradicunt tempora. Piso enim ille periit anno U. C. 818. Domitianus imperium orsus anno 834, ut etiam tricennio post scriptum id carmen Papinius in poëtica floruerit. Nec abludunt cetera, de quibus in Commentariis Dubiorum Scriptorum.“ Hoc quidem modo quomodo Statio adtribui carmen possit, haud sane intelligo, cum praesertim haec sententia magnopere repugnet opinioni vulgatae, ex qua tum ne natus quidem fuit Statius, cum carmen scriptum putatur. Sed de hac re post videbimus. Oudendorpii autem verba supra jam adposui, quo quidem loco nullis aliis argumentis allatis Statii ingenio convenire maxime hoc carmen sibi videri significavit.

Equidem complura plane singularia inesse arbitror

in hoc carmine, quae Statium hujus carminis auctorem habendum esse necessario probent. Ac primum quidem neque contemnendum hujus rei argumentum inest in iis, quae de se ipse dicit poeta v. 242 — 246 incl.

Nos humilis domus et sincera parentum,
Sed tenuis Fortuna sua caligine celat.
Possumus impositis caput exonerare tenebris
Et lucem spectare novam, si quid modo laetus
Annuis, et nostris subscribis, candide, votis.

Haec verba si accuratius consideraverimus, plane inter sese repugnare v. 242 sqq. et versus 244 sqq. intelligemus. Etenim quomodo nunc se habet textus lectio, poeta in prioribus versibus aperte et humilis originis se esse dicit et egenum. At his plane repugnant v. posteriores, in quibus de nova luce loquitur poeta, quam manifestum est opponi priscae luci, ut loquitur Silv. V, 2, 15. sqq. de Crispino,

Non te series inhonora parentum
Obscurum proavis et priscae lucis egentem
Plebeia de stirpe tulit.

Sentire jam coeperunt aliquid viri docti de hujus loci corruptela, neque vero rem expediveruut. Velut J. Lipsius in Lucani exemplari, quod in bibliotheca Leidensi asservatur, in margine correxisse dicitur: „at sincera parentum," qua emendatione nihil profici ex iis, quae post dicam, facile intelligitur. Contra Reichardus verbis; „sed tenuis fortuna" offensus est, ita scribens: „pro" sed tenuis" malim „et tenuis:" ferri tamen potest sed, si commune duobus verbis subjectum celat de domo usurpatur tantum ex parte, h. e. notione habendi, tenendi, progignendi hoc sensu: ortus sum quidem ex humili domo et sincera, sed tenuis census me obscurum manere cogit nec sinit in lucem prodire". At enim quomodo huic ipsi sententiae ratio constet, me non intelligere ingenue fateor, quippe quam vel maxime adversari poetae consilio manifestum sit

Omnis, ut opinor, hujus loci difficultas tolletur et sententiae ratio constabit, si levi mutatione pro non humilis domus, quae permira dictio est, scripserimus non h.d., et, quod adhuc post parentum comma positum erat, ante hoc vocabulum posuerimus. Etenim ad quemcunque poetam referentur hi versus, illa ipsa

verba: lucem spectare novam, quae manifestum est opponi priscae luci, quominus revera poëta humilis se originis esse dicere existimetur, satis obstant. Imo eiusmodi claritatem significat poëta, quae tenuitate obscuretur et novo praesidio indigeat. Verba autem et sincera, quibus alteram laudem genti suae tribuit poëta, post verba non humilis offensioni esse non possunt, modo non humilis dictum putetur pro nobilis, qua de causa nulla mutatione particulae et opus est. Ad celat autem cogitatione supplendum eam, sc. domum. Hac recepta emendatione omnia egregie concinunt cum iis, quae Statius Silv. V. 3, 116 sqq. de patre suo dicit:

Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus
Nec sine luce genus (quamquam fortuna parentum
Arctior expensis): etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, et nobile pectoris aurum.

Eadem igitur prorsus nostro loco de se dicere apparet Statium, quae versibus modo appositis de patre suo narravit. Contraria sententia idem Silv. III. 3, 43 sqq. de Etrusco:

Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis
Linea, nec proavis demissum stemma; sed ingens
Supplevit fortuna genus, culpamque parentum
Occuluit.

Statium autem nostrum egenum fuisse satis cum ex ipsius Silvis apparet, tum vero ex notissimis illis de eo Iuvenalis versibus Sat. VII. 86.

Quum fregit subsellia versu
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Sed altera etiam inest in hoc carmine res eiusmodi, qua de Statio admoneamur. Satis enim constat inter homines antiquitatis peritos, cum ceteros scriptores tum praecipue poëtas indicare patriam suam operibus suis solitos, nec fere quidquam libentius ab his celebratum, adeo ut oblata opportunitate omnibus modis patriam suam ornarent. Quin etiam in iis poëtis, de quorum patria nihil memoriae proditum est, uti talibus indiciis solent critici ad detegendam illorum patriam. Atque hoc ipsum prorsus in Statium cadit, quem Neapoli

natum fuisse ex plurimis illius Silvarum locis satis constat. Eius ibi oppidi saepissime, ubicunque poterat, iniectam a Statio mentionem esse videmus, propterea quod et ipse magnam anni partem ibi transigere solebat, et plures eius amici juxta illam urbem commorabantur, quam ob causam Statio non deerat patriae urbis celebrandae facultas. Praecipue vero lectoribus Euboicam urbis Neapolitanae originem ingerere simulque fabulam illam repetere solitus erat, ex qua columbam illius expeditionis ducem fuisse tradiderat antiquitas. Hoc omnium maxime patet ex Silv. III. 5, ubi uxori suae patrii oppidi laudes enumerans v. 78. sqq. haec scribit:

Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis
Parthenope; cui mite solum trans aequora vectae
Ipse Dionaea monstravit Apollo columba.

Hinc aliis etiam locis, ubi de patria sua loquitur, Euboicam eam vocavit vel Chalcidicam. Sic Silv. I. 2, 260 sqq., ubi inter cetera familiaritatis vincula, quibus cum Stella poëta coniungatur, illud refert, quod Stella et ipse Neapoli natus fuerit, his versibus:

At te nascentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro
Reptasti. Nitidum consurgat ad aethera tellus
Eubois, et pulchra tumeat Sebetos alumna.

Silv. III. 5, 11 sqq.

Euboicos fessus remeare penates
Auguror et patria senium componere terra

Silv. V. 3, de patre suo v. 130 sqq.

Si tu stirpe vetus famaeque obscura jaceres,
Nil gentile tenens, illo te cive probabas
Graia, atque Euboico maiorum sanguine duci

Ibid v. 136. sqq.

Stupuit primaeva ad carmina plebes
Euboea, et natis te monstravere parentes

Silv. II. 2, 94, dum villam Surrentinam Pollionis Felicis describit,

Omnia Chalcidicas turres obversa salutant

Silv. IV. 4, 79 sqq.

Haec ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam
Litoribus, ubi

Jnter cetera autem illius oppidi ornamenta illud numerabatur, quod Neapoli inde ab Augusto quinto quoque anno ludi instituebantur, v. Suc ton. Aug. 98. Insignis de illis locus est Strab. V. p. 246. B. edit. Casaub: Πλεῖστα δ'ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, γυμνάσιά τε καὶ ἐφηβικά, φρατρίαι, καὶ ὀνόματα Ἑλληνικα, καίπερ ὄντα Ῥωμαίων, νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς, μουσικὸς τε καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας. ἐναμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα.

In his Statius omnium primum ob carminum laudem coronatum se esse dicit Silv. V. 3, 225., in qua epistola patri suo propter eximiam graeci sermonis facultatem idem illud decus contigisse scribit versibus 112 sqq.

Ille tuis toties sua pressit tempora sertis,
Cum stata laudato caneret quinquennia versu,
Ora supergressus Pylii senis oraque regis
Dulichii, specieque comam subnexus utraque.

Nec fere unquam eo tempore abfuisse a Neapoli videtur Statius, qui eiusdem epistola v. 92, ludos illos Capitolinis quinquennia proxima lustris dicit.

Haec cum ita sint, quid magis memorabile esse potest, quam quod huius ipsius rei iniecta in carmine nostra mentio est simul cum Euboica Neapolitanae urbis origine terraeque illius fertilitate? Refert enim poeta vv. 77. — 80, non solum latinae orationis facultate excelluisse Pisonem, sed etiam Neapoli, quam esset promptus in Graeco sermone, declaratum, his quidem verbis:

Quin etiam facilis Romano profluit ore
Graecia, Cecropiaeque sonat gravis aemulus urbi.
Testis, Acidalia quae condidit alite muros,
Euboicam referens fecunda Neapolis arcem.

Eodem prorsus modo columbae volatum a Statio significatum legimus loco illo Silv. III. 5, 98, quem supra jam adposui Miro prorsus modo Weberus ad hunc locum haec scripsit: „Acidalia — alite, omine gratiarum, quarum fons est Acidalius ad Orchomenum Boeotiae.“

At enim, ut ipsa Venus mater Acidalia vocata est a Virgilio Aen. I. 726. ex eodem illo fonte, sic eodem modo Statius columbam vocavit alitem Acidaliam, solitus has aves ceteris locis appellare vel volucres Idalias, velut Achil. I. 372, vel Dionaeas, ut Theb. VII. 291. Haec igitur verba num quis temere scripta a poeta esse putabit? Imo Statium, si quid aliud, vel maxime haec verba produnt, qui oblata occasione hic quoque celebrare urbem patriam cupiebat ludorum illorum admonens, in quibus certavisse Pisonem significavit. Atqui si ab adolescentulo haec scripta esse reputaverimus, qui nondum multa composuisset, tanto minus hoc mirandum nobis esse videbitur.

Cum igitur haec omnia egregie in Statium conveniant, quo tempore hoc carmen scripsisse videatur poeta, considerandum deinceps erit.

Atque in promptu responsum esset, si, quae vulgo de Statio traduntur, vera ea existimari possent. Nam cum ubique Statium anno 61. p. Chr. natum esse doceatur, facile intelligitur, hoc si ita se habeat, quia poeta v. 249. se nondum vicesimum aetatis annum excessisse scribit, carmen ante 82. annum p. Chr. necessario compositum esse, i. e. imperante adhuc Tito. Nunc re denuo excussa cum admiratione intellexi, miris erroribus referta esse illa omnia, quae fere vulgo de Statio scribuntur. Nituntur autem maxima ex parte iis viri docti, quae de Statio poeta scripsit Dodwellus in Annal. Stat. Oxon. 1698. Ei viro, de quo legenda sunt, quae Niebuhrius scripsit in klein. histor. Schrift. p. 113 sqq., id quod mireris, assensit Marklandus, doctissimus acutissimusque Silvarum editor, et nostra aetate F. Handius, novissimus Statii editor, totam de Statii vita quaestionem intactam omisit. Et ipsius quidem libri Dodwelliani inspiciendi facta mihi copia non est, sed tamen hoc satis apparet, illi viro tribuendum esse, quidquid miri de Statio scribitur. Nonnulla enim eiusmodi sunt, ut vanius iis vix quidquam cogitari possit. Velut Baehrius in lit. Rom, compendio tradit, Statii patrem Domitiani praeceptorem fuisse, ab eodemque dignitate et donis ornatum; filium autem natum esse anno 61. p. Chr., mature, i. e. anno 81. p. Chr., Claudiam uxorem matrimonio junxisse, deinde serioribus annis, quum vires deficere coepissent, Neapolin discessisse ibique anno 96. p. Chr. esse mortuum. Eadem fere Bernhardy in eius-

dem argumenti libro de Statio scripsit, quibus addidit Statium, quum ei ab initio favisset Domitianus, postea sublevari ab eo desitum sicque in egestate obisse.

Et illud quidem, quod Statii patrem Domitiani praeceptorem fuisse affirmant, plane vanum est. Ipse enim filius Silv V, 3. nihil aliud dicit, nisi nobilium Romanorum pueros a patre suo erudiri consuesse. Omnium autem maxime mirari subit, unde tandem scierit Dodwellus, Statium 61. p. Chr. anno natum fuisse. Etenim quum omnia Statii scripta in Domitiani tempora incidant, nec quidquam ex prioribus annis de eo innotuerit, de natali quidem ejus anno nihil certi affirmari posse facile perspicitur. Ac ne mortem quidem Statii nisi conjectura constituere possumus, quod Achilleis, quam absoluta Thebaide scribere coepit. intra duos libros substitit, ita ut mortalitate interceptus opus illud perficere non potuisse videatur. Quamquam ne haec quidem ipsa res ejusmodi est, ut multum tribui ei possit. Nam cum plurima antiquitatis monumenta perierint, facile fieri potuit, ut Achilleis casu quodam rarius describeretur, et omnia, quae exstant, exemplaria mss. ex uno archetypo deriventur, quod incertum ob quam causam librarius quidam non ultra lib. II. 453 descripsit. Etenim si revera extinctus est Statius, postquam secundum librum composuit, plane non intelligo, cur Julius Capitolinus de Gordianis c. III. haec scripserit: „Scripsit praeterea, quemadmodum Virgilius Aeneidos, Statius Achilleidos, et multi alii Iliados; ita etiam ille, (i. e Gordianus senior) Antoniniados — (sc. libros) Cur enim non potius scripsit Thebaidos? Jam C. Barthius ad Silv. V, 2, 163. multo plures Achilleidos libros perfecisse Statium suspicatus est, quam ad nos pervenerint, id quod probari putat locis, quibus Achillis sui ipse meminerit, qui longo omnino temporum intervallo inter sese distent.

Sed ut ad illud, a quo deflexit, redeat oratio, sub Trajano adhuc vixisse Statium, non injuria colligitur inde, quod Juvenalis Sat VII. de Statio ut de vivo loquitur v. 82. sqq.

Curritur ad vocem jucundam et carmen amicae
Thebaidos, laetam cum fecit Statius urbem
Promisitque diem: tanta dulcedine captos
Adficit ille animos, tanta libidine vulgi
Auditur.

Auctor libelli: Kritische Bemerkungen über einige Nachrichten aus dem Leben des Juvenal. Regensburg, 1834, p. 44. recte intellexit, de Statio ut de vivo loqui Juvenalem. Sed pervelim scire, unde Statium quinto Domitiani anno mortuum esse didicerit. At quod idem universam quidem satiram sub Nerone scriptam esse dixit, singulas autem ejus partes alias aliquanto prius, alias multo post compositas, qua perversa ratione in ceteris etiam satiris utitur, de ea re alias dicam.

Gravissimi longe loci, ex quibus tota Statii aetas constitui debeat, Silvis ipsius continentur. Velut Silv. III, 5. Claudiam uxorem adhortatur, ut secum Neapolin, patriam urbem, discedat his versibus 14. sqq.

Euboicos fessus remeare penates
Auguror et patria senium componere terra.

Mira haec profecto sunt ac plane absurda, si Statius haec 33. aetatis anno scripsit. Quis enim ea aetate, etiamsi sit infractum ipsius virium robur, tali modo de se loquatur? Minime id latuit Marklandum, sed ad v. 22 sqq. sine ulla dubitatione evolvi Dodwelli librum p. 47 jubet, ut Statium non revera senem tum fuisse intelligatur, quum haec scripsit, quod verisimile sit, Statii aetatem non ultra 35. aetatis annum progressam esse. Adeo igitur praeceptis opinionibus obcaecatus erat Marklandus, ut ne ipse quidem per se hanc rem denuo excutere operae pretium esse duceret. Itaque et hunc et ceteros locos ut in rem suam converteret, maxima opera efficere studuit. Contendit autem loco supra apposito, verae senectuti repugnare illud auguror, ut quod verbum non de rebus praesentibus, sed de futuris usurpetur. Sic profecto etiam Theb. II, 110 de Polynice.

Inque sua senium sibi destinat aula.

Sed ita non juvenis loquitur, sed qui his verbis utitur, certe haud procul a senectute se abesse declarat. Sic etiam Silv. V, 2, 158 sqq. poëta se excusat, quod Crispinum castra petentem non ipse comitetur, his verbis:

Nos fortior aetas
Jam fugit: hinc votis animum precibusque juvabo.

Quae autem sit fortior aetas, intelligitur vel ex Achill. ll. 102, ubi Lycomedes rex Ulyssem et Tydiden sic alloquitur:

Utinam mihi fortior aetas
Quaeque fuit, Dolopas cum Scyria litora adortos
Perdomui

Denique Silv. IV, 4 ad Victorium Marcellum v. 69. sqq.

„Nos facta aliena canendo
Vergimur in senium: propriis tu pulcher in armis
Ipse canenda geres patriaeque exempla parabis.“

Monet l. l. Marklandus, qui vergat in senium tantum, eum non in senium servatum esse. Recte hoc, sed ita nequaquam loquitur is, qui triginta fere annos natus est, sed qui in medio quasi vitae spatio versatur, plane ut Theb. I. 390 sqq.

Rex ibi tranquillae medio de limite vitae
In senium vergens populus Adrastus habebat.

Tres igitur extant loci, qui non obscure virum tum fuisse Statium, cum Silvas edidit, probent.

Sed accedit alia res nequaquam spernenda. Etenim Silv. III. 5, 51 docemur, Statium Claudium viduam matrimonio sibi junxisse, atque ibi optat, ut, quam florentibus annis duxerit, eandem in senium servet. Dilucidius haec dicit v. 24 sqq.

Quae me vulnere primo
Contactum thalamis et adhuc juvenile vagantem
Fixisti. —

Ex his satis apparere mihi videtur, non ita mature in matrimonium ductam a Statio Claudiam, cum ita non dici potuerit de eo, qui viginti annorum adolescens esset. Neque vero statui licet, ea aetate Statium sociaturum sibi fuisse conjugem ipso multo natu majorem; atque id necesse prorsus foret statui, cum viduam matrimonio junxerit Statius.

Quod autem ipsum non levis momenti existimandum est, ibidem v. 61. dolet, quod ipsius filia otia tam pulchrae juventae infoecunda tereret, i. e.

quod nondum nupta esset. Hoc modo qui scribit, nonne eum, nisi plane sit ineptus, hoc significare putabimus, filiam solitum nuptiarum tempus egressam fuisse? Atqui si vere cum Doduello Claudiae et Statii nuptiae in annum 81. p. Chr. incidere existimantur, quot tandem annos nata tum virgo esse potuit? Minime id fugit Marklandum, qui nescio quo modo ad verum in hac re disspiciendum caligans in nota ad v. 56 hoc certissimum esse dicit, hanc natam non ipsius Claudiae filiam esse, sed filiam prioris mariti Claudiae ex priore uxore, adeo ut Claudia noverca tantum fuerit hujus puellae. Describitur enim Claudiae in filiam amor his versibus 54 sqq.

Nec pietas alia est tibi curaque natae,
Sic ut mater amas, sic nunquam corde recedit
Nata tuo; fixamque animi penetralibus imis
Nocte dieque tenes: non sic Trachinia nidos
Alcyone veros, non sic Philomela Penates
Circuit, amplexusque animamque in pignora transfert.
Et nunc illa, tenet viduum quod sola cubile,
Otia tam pulchrae terit infecunda juventae:
Sed venient plenis, venient connubia, taedis.
Sic certe formaequae bonis animique meretur.
Sive chelyn complexa ferit, seu voce paterna
Discendum Musis sonat et mea carmina flectit,
Candida seu molli diducit brachia motu;
Ingenium probitas, artemque modestia vincit.

In his Marklandus cum F. Morello verba illa:

Sive chelyn complexa ferit, seu voce paterna
Discendum Musis sonat

iterum de priore marito accepit, qui v. 52. canorus vocatur. Idem deinde v. 47. pro vernos correxit veros, Statii verba sic explicans: non magis fovet suos proprios et veros pullos Halcyone, quam tu hanc defuncti mariti filiam: quae quidem sanguine non vere tua est, inductitia scilicet et ab aliena quasi manu: tu tamen, qua es pietate, eam velut veram tuam sobolem amore et cura prosequeris.“ Ergo parum erat intelligere Claudiae filiam ex priore marito susceptam, nisi ipsi Claudiae notha filia substitueretur, ut adeo Claudiam primum viduus quidam in matrimonium duxisse, ipsa deinde vidua Statio nupsisse censenda sit.

Contra haec ipsa, quae disputavit Marklandus, haec moneo. Mirum profecto in modum Statius tam multis verbis usus esset, si alienam filiam significasset. Imo sententia eius vel maxime simplex est. Laudaverat antea in coniuge sua, quod eximio amore et ipsum et prioris mariti exequias amplecteretur. Quid igitur magis consentaneum erat, quam ut praedicaret etiam, quanta cura amaret eius amoris pignora, i. e. filiam? Ac ne scite quidem comparationis suae rationem instituit Marklandus. Si curam laudaturus erat Statius, qua alienam prorsus filiam coleret ipsius uxor, cur eam non comparabat cum matribus, quae suas ipsarum filias summa caritate prosequuntur? Num eguit ad id avium comparatione, cuius ita demum iusta ratio est, si eo amore, quo diligunt aves pullos suos, maior dicitur Claudiae amor in filiam ab ipsa genitam? Sane vernos illo Statii loco me et ipsum offendit, sed ex illis ipsis, quae modo memoravi, satis intelligitur, falsum omnino esse veros, uti legendum coniiciebat Marklandus. Mihi quidem admodum verisimile esse videtur, eiusmodi epitheton positum fuisse, quod nidorum conditionem pressius significaret, velut humidos vel madidos, Cf. Theb. IX. 360 sqq.

Fluctivagam sic saepe domum madidosque penates
Halcyone deserta gemit, quum pignora saevus
Auster et algentes rapuit Thetis invida nidos.

Sil. Ital. XIV. 275.

Quum sonat Halcyones cantu, nidosque natantes
Immota gestat, sopitis fluctibus, unda.

Verba autem illa:

Sive chelyn complexa ferit, seu voce paterna
Discendum Musis sonat et mea carmina flectit,

recte de ipso Statio omnia intelliguntur, nec perversa ratione priora quidem de priore marito, posteriora autem „mea carmina flectit„ de Statio accipi debent. Haec igitur omnia eo pertinent, ut ipsius Statii filia intelligatur. Nam filios certe Statium non habuisse, satis appareret e Silv. V, 5, 79 sqq., ubi de puero suo

Nonne gemam te, care puer? quo sospite natos
Non cupii. —

Quae cum ita sint, facile intelligitur, in multo priora tempora referri debere Statii annum natalem, siquidem iis constare rationem volumus, quae de se ipse dicit poëta ille. Cuius quidem fere aetatis fuerit Statius, quum scripsit Silvas, colligere possumus ex illius in patris honorem scripto epicedio Silv. V, 3. Recte id epicedium Marklandus ad Silv. III, 3. scriptum censuit ante III. Silv. librum, quia Statius Silv. III, 3, 30. sqq. semet ipsum sibi esse solatio debuisse ait ob amissum patrem coll. II, 1, 35. Atqui Statius in illo epicedio v. 53 sqq. patrem sexaginta quinque annos natum excessisse vita scribit. Quum igitur Statii pater sine dubio vicesimo fere anno p. Chr. natus sit, Statius filius quinquagesimo circiter anno p. Chr. natus fuit. Haec quum ita se habeant, et cum illud probe meminisse nos oporteat, poëtam nondum vicesimum aetatis annum egressum fuisse, quum hoc carmen scripsit, sub Vespasiano adhuc scriptum hoc carmen esse, atque etiam in eandem aetatem incidere Pisonis consulatum existimo.

Nihil sane ad rem diiudicandam pertinet temporis significatio, quae inest in huius carminis versibus 159 sqq.

„*Nec pudeat pepulisse lyram, cum pace serena*
Publica securis exsultent otia terris.“

Wernsdorfius quidem de Neronis aetate ea verba ὑπερβολικῶς dicta esse putaverat: sed multo etiam magis Vespasiani aetati convenire vix quisquam negaverit.

Ad hanc eandem aetatem sedecim primi versus Arateorum referendi sunt, praecipue v. 9 et 10:

„*Si non parta quies, te praeside, puppibus aequor*
Cultorique daret terras, procul arma silerent.

Etenim tota illius carminis ratio ita comparata est, ut prorsus aetati Statii convenire iudicandum sit, qua de causa omnino cum Rutgersio ad Domitianum auctorem referre non dubito. Ipsum illud genitor v. 2., quo Vespasianus, et nato v. 16., quo Domitianum significari apparet, magnopere obstant, quo minus quisquam de Caesare Germanico, Augusti nepote, cogitet. Sic plane genitor de Vespasiano Valerius Flaccus I., 16.

loco plane gemino, cui eodem modo proles tua v. 12. opponitur.

Superest, ut ex totius carminis natura dignum prorsus Statio esse carmen nostrum probetur. Qua de re verissime judicavit Oudendorpius, qui loco supra allato ob ipsam humilem carminis indolem Statio id adiudicandum censuit. Submissum quidem ingenium omnia Statii carmina referunt, cuius rei ratio cum ex tota eius indole, tum e tenui eius fortuna explicari debet. Non est hic locus multis de Statii vitiis disserendi, cum praesertim de his disputaverit F. Handius praef. ad Stat. p. XII. sqq. Illud affirmo, totum hoc carmen, quod viginti annorum juvenis composuit poëta, prorsus miram illam versuum facilitatem exhibere, qua excellebat Statius, quippe qui, quanta celeritate carmina sua componere solitus sit, ipse testetur Silv. 1. praef. Eximia illa Statii rerum singularum, quae in oculos incurrunt, descriptionem exhibendi accuratam et vividis coloribus ornatam facultas non paucis carminis nostri locis satis comprobatur. Omnino persimile est nostrum carmen non paucis aliis, quae in Statii Silvis leguntur, atque ad eandem prope formam compositum, sive universae compositionis rationem habeas, sive peculiaris dicendi generis. Quemadmodum omnino Statii aetate mirum in modum depressa jacebant omnia, ita illa etiam, quae per se parva admiratione digna sunt, supra modum extollebantur. Reperiri paene una eademque forma potest, qua Statius in illorum laude, ad quos Silv. epistolae variis ex causis scriptae sunt, dum amicorum vel nuptias celebrat, vel dies natales, vel eos consolatur parentum vel coniugum vel liberorum obitum lugentes, uti solitus est. Laudibus ab eo fere semper efferuntur eloquium forense, poëtices studium, elegantia in emendis et intelligendis artis operibus, lepor in remissionibus, membrorumque vigor; ubique celebrantur habitus decorus, externa probitatis species cum gravitate conjuncta. In primis vero praedicantur ii, quorum larga et prompta benignitas amicorum utilitatibus subveniebat. Atque ut laudi illud dabat, si quis ingenium ostendebat aetate maturius, ita idem frequenter optat, ut amici ipsius vitam agant longissimam. Juniores amicos omnibus modis incitare solebat, ut avos et parentes virtute bellica, probitate et literarum studio superarent: cujus rei eximium testi-

monium est epistola ad Crispinum, quae legitur Silv. V, 3. Haec omnia in carmine nostro deprehendi licet.

Dictio, qualis in hoc carmine reperitur, prorsus eadem est, quae in ceteris Statii carminibus invenitur, nec pauci loci afferri possunt, quibus ea similitudo demonstrari queat. Ut omnino singuli scriptores suis quisque propriis et peculiaribus dicendi formulis utuntur, ita hoc idem in Statio accidit, cujus plurimas jam proprietates explicavit Marklandus ad Silvas, et carmen nostrum ceteris Statii operibus in hoc genere non minus simile esse contendo, quam singula inter se Silvarum carmina similia sunt. Deinde ut in ceteris operibus suis non raro Horatium, Virgilium, Ovidium, alios obversatos fuisse manifestum est Statio, sic in hoc ipso carmine complures loci reperiuntur, ubi hoc idem factum esse apparet: qua in re illud jam recte ab Handio praef. p. XV. monitum est, miram quandam Statii artem cerni in celando imitationis studio. Contra ut cetera Statii opera, sic hujus quoque carminis a Claudiano complures locos expressos esse facile intelligitur.

Complures loci extant persimiles Panegyrico in Messalam, adeo ut Wernsdorfius v. c. ad v. 32. a nostri carminis auctore poëma illud imitatione expressum esse putaverit. Sed hoc longe secus se habet, ac potius auctorem illius carminis carmen nostrum ob oculos habuisse patet. Itaque non possum non eorum doctorum hominum sententiae subscribere, qui carmen illud primo vel secundo p. Ch. sacculo scriptum censuerunt. Quod autem Wernsdorfius p. 44. haec scripsit, „totum habitum Calpurnii eclog. IV, plerasque ejus sententias ad similitudinem carminis ad Calp. Pisonem scripti multum accedere, ut verisimile fiat, Calpurnium ad hoc carmen, quod ad gentilem vel cognominem virum scriptum fuerit, praecipue adtendisse idque studiose legisse“, similitudinem quidem quandam intercedere, negari non potest, sed non continuo inde sequitur, id quod Wernsdorfius arbitrabatur, Calpurnium istum rationem habuisse nominis adfinitatis. Sed de his ipsis eclogis de earumque aetate quid statuendum sit, cum ne Sarpius quidem verum viderit, alio loco exponam.

Finem denique deesse huic carmini vana fuit C. Barthii opinio. Contra ipse intercidisse hujus carminis

exordium, in adn. ad vers. I. demonstrasse mihi videor. Hoc facto cum incertum haereret de Pisone judicium, magis etiam fluctuabat de poëta opinio. Itaque hoc quoque nomine mirandum non est, mature Lucano adscriptum fuisse carmen nostrum.

P. Papinii Statii

ad

Calpurnium Pisonem

Poemation.

Unde prius coepti surgat mihi carminis ordo,
Quosve canam titulos, dubius feror. Hinc tua, Piso,
Nobilitas, veterisque citant sublimia Calpi
Nomina, Romanas inter fulgentia gentes;
Hinc tua me virtus rapit et miranda per omnes
Vita modos: quae, si deesset tibi forte creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta tropaeis
Atria, quid pleni numeroso Consule fasti,
Profuerint, cui vita labat? perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus est in origine sola.
Felix, qui tantis animum natalibus aequas
Et partem tituli, non summam, ponis in illis!
Ipse canendus eris: nam quid memorare necesse est,
Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat,
Claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
Humida callosa cum pinseret hordea dextra?
Nec, si cuncta velim, breviter decurrere possim:
Et prius aetheriae moles circumvaga flammae
Annua bis senis revocabit mensibus astra,
Quam mihi priscorum titulos operosaque bella
Contigerit memorare: manus sed bellica patrum
Armorumque labor veteres decuere Quirites,
Atque illos cecinere sui per carmina vates.
Nos quoque pacata Pisonem laude nitentem,
Exaequamus avis. Tamen, etsi bella quierunt,
Non periit virtus: licet exercere togatae
Munera militiae: licet et sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub judice bella movere.
Hinc quoque servati contingit gloria civis

Altaque victrices intexunt limina palmae.
Quin age, majorum, juvenis facunde, tuorum
Scande super titulos et avitae laudis honores,
Armorumque decus praecede forensibus actis.
Sic etiam magno jam tunc Cicerone vigente
Laurea facundis cesserunt arma togatis.
Quaeque patrum claros quondam visura triumphos
Olim turba vias impleverat agmine denso,
Ardua nunc eadem stipat fora, cum tua moestos
Defensura reos vocem facundia mittit.
Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice causas:
Seu capitale nefas operosa diluis arte,
Laudibus ipsa tuis resonant fora. Tu quoque, Pis
Judicis affectum possessaque pectora ducis
Victor; sponte sua sequitur, quocunque vocasti:
Flet, si flere jubes: gaudet, gaudere coactus;
Et te dante capit judex, quam non habet, iram.
Sic auriga solet ferventia Thessalus ora
Mobilibus frenis in aperto flectere campo,
Qui modo non solum rapido permittit habenas
Quadrupedi, sed calce citat, modo torquet in auras
Flexibiles rictus, et nunc cervice rotata
Incipit effusos in gyrum carpere cursus.
Quis non attonitus judex tua respicit ora?
Quis regit ipse suam, nisi per tua pondera, mentem?
Nam tu, sive libet pariter cum grandine nimbos
Densaque vibrata jaculari fulmina lingua,
Seu juvat adstrictas in nodum cogere voces
Et dare subtili vivacia verba catenae,
Vim Laërtiadae, brevitatem vincis Atridae:
Dulcia seu mavis, liquidoque fluentia cursu
Verba, nec incluso, sed aperto pingere flore,

Inclita Nestorei cedit tibi gratia mellis.
Nec te, Piso, tamen populo sub judice sola
Mirantur fora; sed numerosa laude Senatus
Excipit, et meritas reddit tibi curia voces.
Quis digne referat, qualis tibi luce sub illa
Gloria contigerit, qua tu, reticente Senatu,
Cum tua bis senos numeraret purpura fasces,
Caesareum grato cecinisti pectore numen?
Huc etiam tota concurrit ab urbe juventus
Auditura virum, si quando judice fesso
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus:
Tunc etenim levibus veluti proludit in armis,
Compositisque suas exercet litibus artes.
Quin etiam facilis Romano profluit ore
Graecia, Cecropiaeque sonat gravis aemulus urbi.
Testis, Acidalia quae condidit alite muros,
Euboicam referens fecunda Neapolis arcem.
Qualis, io Superi, qualis nitor oris amoenis
Vocibus? hinc solido fulgore micantia verba
Implevere locos: hinc exornata figuris
Advolat excusso velox sententia torno.
Magna quidem virtus erat, et si sola fuisset,
Eloquio sanctum modo permulcere Senatum,
Exonerare pios modo, nunc onerare nocentes.
Sed super ista movet plenus gravitate serena
Vultus, et insigni praestringit imagine visus.
Talis inest habitus, qualem nec dicere moestum,
Nec fluidum, laeta sed tetricitate decorum
Possumus: ingenitae stat nobilitatis in illo
Pulcher honos, et digna suis natalibus ora.
Additur huc et justa fides et plena pudoris
Libertas animusque mala ferrugine purus:
Ipsaque possesso mens est opulentior auro.

Quis tua cultorum, juvenis facunde, tuorum
Limina pauper adit, quem non animosa beatum
Excipit et subito juvat indulgentia censu?
Quodque magis dono fuerit pretiosius omni,
Diligis ex aequo: nec te fortuna clientum
Natalesve movent: probitas spectatur in illis.
Nulla superborum patiuntur dicta jocorum:
Nullius subitos affert injuria risus.
Unus amicitiae summos tenor ambit et imos.
Rara domus tenuem non aspernatur amicum,
Raraque non humilem calcat fastosa clientem.
Illi casta licet mens, et sine crimine constet
Vita, tamen probitas cum paupertate jacebit.
Sed lateri nullus comitem circumdare quaerit,
Quem dat purus amor, sed quem tulit impia merces,
Nec quisquam vero pretium largitur amico,
Quem regat ex aequo, vicibusque regatur ab illo:
Sed miserum parva stipe munerat, ut pudibundos
Exercere sales inter convivia possit.
Ista procul labes, procul haec fortuna refugit,
Piso, tuam, venerande, domum: tu mitis et acri
Asperitate carens, positoque per omnia fastu,
Inter ut aequales unus numeraris amicos:
Obsequiumque dóces, et amorem quaeris amando.
Cuncta domus varia cultorum personat arte,
Cuncta movet studium: nec enim tibi dura clientum
Turba rudisve placet, misero quae freta labore
Nil nisi summoto novit praecedere vulgo;
Sed virtus numerosa juvat. Tu pronus in omne
Pectora ducis opus, seu te graviora vocarunt,
Seu leviora juvant: nec enim facundia semper
Adducta cum fronte placet: nec semper in armis
Bellica turba manet: nec tota classicus horror

Nocte dieque gemit: nec semper Cnossius arcu
Destinat, exemto sed laxat cornua nervo;
Et galea miles caput et latus ense resolvit.
Ipsa vices Natura subit, variataque cursus
Ordinat, inversis et frontibus explicat annum.
Non semper fluidis adopertus nubibus aether
Aurea terrificis obcaecat sidera nimbis.
Cessat hiems, madidos et siccat vere capillos:
Ver fugit aestates: aestatum terga lacessit
Pomifer auctumnus, nebulis cessurus et undis.
Ignea quin etiam Superum pater arma recondit,
Et Ganymedeae repetens convivia mensae
Pocula sumit ea, qua gessit fulmina, dextra.
Temporibus servire decet: qui tempora certis
Ponderibus pensavit, eum si bella vocabunt,
Miles erit; si pax, positis toga gestiet armis.
Hunc fora pacatum, bellantem castra decebunt.
Felix illa dies totumque canenda per orbem,
Quae tibi, vitales cum primum traderet auras,
Contulit innumeras intra tua pectora dotes.
Mira subest gravitas inter fora: mirus, omissa
Paulisper gravitate, lepos. Si carmina forte
Nectere ludenti juvit fluitantia versu,
Aonium facilis deducit pagina carmen:
Sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas,
Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus,
Et te credibile est Phoebo didicisse magistro.
Nec pudeat pepulisse lyram, cum pace serena
Publica securis exsultent otia terris;
Nec pudeat, Phoebea chelys si creditur illis
Pulsari manibus, quibus et contenditur arcus.
Ipse fidem movisse ferox narratur Achilles,
Quamvis mille rates Priameius ureret heros,

Et gravis obstreperet modulatis buccina nervis.
Illo dulce melos Nereius extudit heros
Pollice, terribilis quo Pelias ibat in hostem.
Arma tuis etiam si forte rotare lacertis
Inque gradum clausis libuit consistere membris,
Et vitare simul, simul et captare petentem;
Mobilitate pedum celeres super orbibus orbes
Flectis, et obliquis fugientem cursibus urges;
Et nunc vivaci scrutaris pectora dextra,
Nunc latus adversum nec opino percutis ictu.
Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem
Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem,
Et non sperato fugientem reddere gestu.
Haeret in haec populus spectacula, totaque ludos
Turba repente suos jam sudabunda relinquit.
Te si forte juvat studiorum pondere fessum
Non languere tamen, lususque movere per artem,
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus et vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit
Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem?
Mille modis acies tua dimicat; ille petentem
Dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu,
Qui stetit in speculis: hic se committere rixae
Audet et in praedam venientem decipit hostem.
Ancipites subit ille moras similisque ligato
Obligat ipse duos: hic ad maiora movetur,
Ut citus et fracta prorumpat in agmina mandra,
Clausaque deiecto populetur moenia vallo.
Interea sectis, quamvis acerrima surgant
Proelia, militibus, plena tamen ipse phalange,
Aut etiam pauco spoliatus milite, vincis,

Et tibi captiva resonat manus utraque turba.
Sed prius emenso Titan versetur Olympo,
Quam mea tot laudes decurrere carmina possint.
Felix, et longa juvenis dignissime vita,
Eximiumque tuae gentis decus, accipe nostri
Certus et hoc veri complectere pignus amoris.
Quod si digna tua minus est mea pagina laude,
At voluisse sat est: animum, non carmina jacto.
Tu modo laetus ades, forsan meliora canemus,
Et vires dabit ipse favor, dabit ipsa feracem
Spes animum: dignare tuos aperire Penates.
Hoc solum petimus: nec enim me divitis auri
Imperiosa fames et habendi saeva libido
Impulerit, sed laudis amor. Juvat, optime, tecum
Degere, cumque tuis virtutibus omne per aevum
Carminibus certare meis: sublimior ibo,
Si famae mihi pandis iter, si detrahis umbram.
Abdita quid prodest generosi vena metalli,
Si cultore caret? quid inerti condita portu,
Si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamvis
Armamenta gerat, teretique fluentia malo
Possit et excusso dimittere vela rudente?
Ipse per Ausonias Aeneia carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum,
Maeoniumque senem Romano provocat ore,
Forsitan illius nemoris latuisset in umbra,
Quod canit, et sterili tantum cantasset avena,
Ignotus populis, si Maecenate careret.
Qui tamen haud uni patefecit limina vati,
Nec sua Virgilio permisit nomina soli.
Maecenas Tragico quatientem pulpita gestu
Evexit Varium: Maecenas alta tonantis
Eruit et populis ostendit nomina Graiis.

Carmina Romanis etiam resonantia chordis
Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.
O decus, et toto merito venerabilis aevo
Pierii tutela chori, quo praeside tuti
Non unquam vates inopi timuere senectae.
Quod si quis nostris precibus locus, et mea vota
Si mentem subiere tuam, memorabilis olim
Tu mihi Maecenas tereti cantabere versu.
Possumus aeternae nomen committere famae,
Si tamen hoc ulli de se promittere fas est,
Et Deus ultor abest: superest animosa voluntas,
Ipsaque nescio quid mens excellentius audet.
Tu nanti protende manum: tu, Piso, latentem
Exsere. Non humilis domus, et sincera, parentum
Sed tenuis fortuna sua caligine celat.
Possumus impositis caput exonerare tenebris
Et lucem spectare novam, si quid modo laetus
Annuis, et nostris subscribis, candide, votis.
Est mihi, crede, meis animus constantior annis,
Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Coeperit et nondum vicesima venerit aestas.
Quod si jam validae mihi robur mentis inesset
Et solidus primos impleret spiritus annos,
Auderem voces per carmina nostra referre,
Piso, tuas: sed fessa labat mihi pondere cervix,
Et tremefacta cadunt succiso poplite membra.
Sic nec olorinos audet Pandionis ales
Parva referre sonos, nec, si velit improba, possit.
Sic et aedonia superantur voce cicadae,
Stridula cum rapido faciunt convivia Soli.
Quare age, Calliope, posita gravitate forensi,
Limina Pisonis mecum pete: plura supersunt,
Quae laudare velis, inventa penatibus ipsis.

Adnotatio.

Vs. 1.

Jos. Scaliger, quum in libro suo ms. carmen nostrum incipere vidisset ab his verbis:

nihil est, quod texas ordine, longum,

in eam sententiam adductus est, ut hujus carminis initium intercidisse arbitraretur. Proverbialis autem illa ei locutio esse videbatur, propterea quod eadem verba v. 339. legerentur. Hac quidem ex parte facile virum egregium refutavit Wernsdorfius, merum librarii glossema esse dicens, qui verba illa, quod respondere primi versus sententiae intellexisse sibi videretur, superscribere commodum putavisset. At nihilo tamen minus equidem, ex quo ipsam hujus exordii indolem accuratius considerare coepi, primam hujus carminis partem intercidisse judico. Ecquis est, qui non, ubi primum ipsos illos versus, qui nunc primi hujus carminis sunt, legerit,

Unde prius coepti surgat mihi carminis ordo,
Quosve canam titulos, dubius feror

tam temere inceptum esse carmen miretur? Nam profecto si quis coeptum carmen memorat, aliquot jam ejus carminis versus praecessisse necesse est, velut Calpurn. Ecl. VII, 81.

Perge puer, coeptumque tibi ne desere carmen.

Neque vero quae Reichardi sententia fuit, adduci possum, ut sine ullo exordio ipsas Pisonis laudes ingressum esse poëtam putem. Desideratur enim omnino causarum, quibus ductus ad Pisonem scribere ausus sit poëta, accuratior mentio. Atqui qui Statium novit, non ignorat, quam is scite ejusmodi carminibus mittendi causas similiaque praemittere solitus sit, quibus ipsas hominum laudes et facta subjungit. Hoc, ne alia afferam, egregie comprobatur plane gemino hujus poëtae loco, qui Silv. II, 1, quum antea dolorem suum de Glauciae Atedii Melioris pueri morte significavisset, inde a versu 36. demum illius laudes sic celebrare incipit:

Jam dudum dignos aditus, laudumque tuarum
O merito dilecte puer, primordia quaerens
Distrahor. Hinc anni stantes in limine vitae,
Hinc me forma rapit, rapit inde modestia praecox,
Et pudor, et tenero probitas maturior aevo.

Eodem igitur modo quum hic quoque versatum fuisse poëtam facile appareat, defectus signa adponenda esse existimo.

Vs. 3.

Veterisque—Calpi. „Filii Pompilii Numae, a quo Calpurnii oriundi, ut scribit Festus et Plutarchus Num. cap. 21. Hinc Pisones ab Horatio A. P. 292. vocantur Pompilius sanguis. Ad quem locum vetus interpres filium Numae non Calpum, sed Calpur appellat.“ Wernsdorf. Apud Hochederum pag. 183. verba illa ita leguntur: Calypis filius est Numae, a quo Calpurnii Pisones traxerunt nomen. —

Citant i. e. incitant. Frequens apud Statium verbi citare usus est. Theb. VI, 827. sq.: „Ergo ubi luctandi juvenes animosa citavit Gloria; VIII, 124 sq. „Ut leo Massyli quum lux stetit obvia ferri. Tunc iras, tunc arma citat;“ XII, 18. de columbis „Imbellesque citant ad praelia pennas“; Theb. X, 137 sq. de Somno: „Ipse quoque et volucrem gressum et ventosa citavit Tempora“ I, 2, 142. de Venere „Amyclaeos ad frena citavit olores.“

Vs. 5, et 6.

Rapit. Sic prorsus Silv. II, 1, 39, loco supra ad v. 1 allegato. „Hinc me forma rapit, rapit inde modestia praecox.“ Theb. XII, 794 sqq. „Rapit huc, rapit impetus illuc, Thesea magnanimum quaerant prius, anne Creonta, Anne suos.“

Per omnes — modos „Modos vitae vocat vivendi agendique rationem et quasi formas diversas temporibus, locis, rebus et hominibus, quibuscum vivitur, accommodatas. Sic Horat. Epp. II. 2. 144. „Nimirum sapere est verae numerosque modosque ediscere vitae“ Wernsdorf. Horatii quidem locus non huc pertinet ob adjectum numeros, quemadmodum etiam Virgil. Aen. XI., 328 sq. „Ipsi numerumque modumque carinis Praecipiant“ — Sed apud ipsum Statium modos aliquot locis ea dici videmus, quae justae rei alicujus partes et officia sunt. Velut Achill. I, 176. de Patroclo, „par studiis

aevique modis.“ coll. Theb. VII. 296. sq. „viresque modosque Imperii tractare manu“ Theb. IV, 229 sq. „nudaeque modos virtutis et iras Ingenerat.“ Probabiliter igitur Behotius Silv. V, 2, 74 sq. „Pietasque per omnes Dispensata modos“ correxit pro domos, ut in libris est. Eandem sententiam expressit Statius Silv. II praef. „Melior, vir optime, nec minus in judicio literarum, quam in omni vitae colore tersissime.“

V. 8 et 9.

Avitis fulta triumphis Atria libri. Offensioni fuit viris doctis haec lectio: neque injuria. Ac primum quidem pro triumphis scribendum esse tropaeis judicavit N. Heinsius, auctore Burmanno ad Anthol. Lat. T. I. pag. 217, ubi is multa de arma hostilia aedibus affigendi ritu collegit: quam admisi emendationem, cum praesertim facillime confundi potuerint tropaeis et triumphis, quemadmodum factum est Ovid. Fast. V, 554, nihil moratus Wernsdorfii sententiam, qui triumphis pro triumphorum signis dictum putabat. Fulta autem ne quis cum Cortio in culta mutandum putet, qui sine dubio verbum desiderabat et imaginibus et triumphis accommodatum, haec quidem ratio nos non magis offendere debet hic, quam infra v. 57 sqq., ubi eodem modo jaculari ad fulmina tantum, non item ad nimbos trahi potest. Atria tropaeis fulta manifestum est a Statio opponi iis atriis, quae illa aetate marmoreis columnis ornatae erant. Sic Theb. I, 144 sqq. „Et nondum crasso laquearia fulva metallo, Montibus aut alte Graiis effulta nitebant Atria“ coll. Silv III, 1. 5, sq. „Graiisque effulta metallis Culmina.“ Comparavit de fulta Wernsdorfius Juvenal Sat. VII, 182.“ Numidarum fulta columnis coenatio.“ Adde Propert. IV, 2, 9. — „Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis.“ Non dissimiliter Noster verbo fulcire usus est Theb. XI, 398.sq. „quod fulta metallo Parma micet“ quod Weber explicat: quae plures orbes metalli alterum alteri junctum habet ad modum clypei illius Agamemnonii Il. XI., 32 sqq.“

Vs. 10.

Cui vita labat. Sic cum Junio et Scaligero scripsi Multo deterius est, quod vulgo cum Petr. Bersm. legebatur: si vita labat. De verbo labare contulit Wernsdorfius Sueton Tiber. 32: „Si qua in publicis moribus desidia aut mala consuetudine labarent, corrigenda

suscepit.“ Ceterum amat vocem labare Statius. Sic Theb. V. 370. sq. „Incertae jam nec prior impetus alno, Sed labat,“ VII. 532. sq. „Sic flexa Pelasgum Corda labant“ Silv. V. 3. 237. sq. de patre mortuo „labat incerto mihi limite cursus Te sine.“

Vs. 11.

Nobilitas. Petr. et edd. sqq. gentis honos, quam interpolationem recte malam dixit Cortius. Neque enim quidquam profecit Wernsdorfius, qui non ipsam nobilitatem vel generosam originem a poëta significari contendit, quae non pereat, sed honorem, quem homo nobilis e gente sua capere possit: hunc perire, nisi propria virtute fulciatur. Deinde quod idem variationis causa positum a poëta gentis honor dixit, ne id quidem magnopere gravis momenti esse facile intelligitur.

Vs. 12.

Felix. Petr. Bersm: at tu, quam lectionem receptae praeferebat Wernsdorfius, quod melius responderet versibus sequentibus. Sane oppositionis ratio satis manifesta est, quam eo significasse mihi videor, quod in fine vers. 13. pro commate punctum primus posui. Sic Noster Theb. X., 615. „Felix, qui tanta lucem mercede relinquit“ Silv. III, 1, 188. sq. „Felix, cui magna patrem cervice vehenti Sacra Mycenaeae patuit reverentia flammae!“ V, 2, 152, sqq. „Felix, qui viridi fidens coeptaque juventa Durabis quascunque vices;“ IV., 4, 49: „Felix curarum! cui non Heliconia cordi Serta, nec imbelles Parnassi e vertice laurus.“ Hoc modo cum vi poni apparet verba Ipse canendus eris, quibuscum cf Silv. IV., 4, 69 sqq: „Nos facta aliena canendo Vergimur in senium: propriis tu pulcher in armis Ipse canenda geres patriaeque exempla parabis.“

Vs. 13.

Ante Cortium nulla interpunctio erat inter tituli et ponis. De dictione cf Propert IV, 9, 11: „In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles.“

Vs. 15.

Post ducat commate distinxi, cum adhuc perperam interrogationis signum positum esset, quod post dextera demum ponendum erat. Ita opus non est, ut cum Reichardo in verbis sequentibus ad pinseret subiectum omissum fuisse statuatur, quod Calpum esse facile intelligitur.

Vs. 16.

Prima. Duorum epithetorum clara et prima con-

iunctione offensus Reichardus primum vel primus emendandum esse arbitrabatur. Sed ea non magis prava est, quam v. c. Virgil. Aen. V, 42. sq: „Postera quum primo stellas oriente fugarat Clara dies.“ — Non rara duo epitheta iungi solita esse, satis docuerunt viri docti. V. quos adlegat Bach. ad Ovid. Met. VII. 272. Kritz. ad Sallust. Jug. 30. Deinde adiectivum primus non semper ad homines relatum est, sed haud raro ad res. Sic Sil. Ital XI, 297. „Tum Capys ut primis dederit sua nomina muris“ ubi Marsus primus; Virgil. Aen. V. 151. „Effugit ante alios primis que elabitur undis.“

Vs. 17.

Joseph. Scaliger reponendum censebat fumida, propterea quod prius torreri, deinde saxo frangi solita essent hordea. Sed quamquam hoc ita se habuit antiquissimis temporibus, idcirco tamen aptum fumida huic loco non est, quod non jam fumida esse hordea potuerunt tum, quum pinsebantur Neque enim fumida est *gedörrt*, sed *rauchend*. Deinde sic quoque foret valde jejunum epitheton fumida, cum tale potius requiratur, quod ipsam hordeorum naturam pressius significet. Neque vero librorum lectio humida ea ratione defendi potest, quam iniit Wernsdorfius his verbis usus: „Plinius quidem scribit Lib. XVIII, 9. Italiam sine perfusione tostum hordeum in subtilem farinam molere, sed a Graecis perfusum aqua et rursus siccatum in pila tundi, deinde moli. Atque hic Graecorum mos forsitan priscorum Romanorum fuit, de quo loquitur poëta, quum humida dicit hordea pinsi.“ Huic quoque explicationi obstat illud, quod humida non est *befeuchtet*, sed *feucht*. Itaque videndum, an non a poëta aliud quoddam adiectivum scriptum fuerit, et praeterquam quod id requiritur ipsa rei necessitate, meminisse nos oportet, in libris omissa prima litera, utpote initio versus, scriptum fuisse: umida. Itaque haud scio an reponendum sit tumida, quod epitheton hordeorum naturae egregie convenit, simulque illorum vilitatem denotat. Sic auctore Suetonio de rhetoribus II. Marcus Caelius L. Plotium Gallum subtracto nomine hordearium rhetorem appellavit, „deridens ut inflatum, ac levem et sordidum.“ De voce Piso conferri jussit Wernsdorf. Plinii Hist. Nat. XVIII. 3. Cognomina etiam prima inde (se. ab agricultura) Pilumnii, qui pilum

pistrinis invenerat, Pisonis a pisendo.“ Huic etymologiae generi, cuius alia insignia exempla referre nihil hoc loco attinet, quid pretii tribuendum sit, latere viros doctos non potest, cum, ut uno exemplo defungar, Πείσων legatur apud Lysiam orat. in Eratosthenem.

Vs. 19.

Moles. Simili modo hac voce usus est Noster de Jovis fulmine Theb. III., 320. sq.: „Volat ignea moles Saeva Dei mandata ferens.“ —

Vs. 20.

Revocabit. Melius scriptum iri renovabit arbitrabatur Wernsdorfius collato loco Pseudo-Tibulli, IV. 1., 113. „Centum fecundos Titan renovaverit annos.“ Addere poterat Sil. Ital. XVI., 295. „Septima quum solis renovabitur orbita coelo.“ Sane frequenter permutata sunt haec verba a librariis, velut Silv. IV., 1. 38. „et tibi longaevi renovabitur ara Terenti“ cod. Vrat. revocabitur. Nostro tamen loco ob adiecta verba bis senis mensibus multo praestat revocabit, propterea quod hoc verbum stellarum, quas non omnes omnibus mensibus conspici licet, recursui, quem certo quodam ordine solis conversio efficit, egregie convenit.

Vs. 21.

Priscorum. Casp. Barthius Advers. XXIX, 7. coniecit Pisonum, quam coniecturam jam Wernsdorfius recte supervacaneam esse dixit, utpote cum poëta Pisonis sit maiores significaturus, quibus ipse Piso opponitur.

Vs. 23.

Decuere. Sic cum Reichardo de facillima Casp. Barthii emendatione scripsi, quam proposuit Adv. XXIX, 7. Vulgo adhuc cum libris legebatur docuere, quem eundem errorem infra v. 146. edit. Petri habet docebunt exhibens pro decebunt. Eodem modo Silv. II. 2, 154. „non alias decuit concordia mentes“ cd. Vrat. docuit exhibet. Weberus et ipse recipiendam esse Barthii emendationem judicat, nisi quis anacoluthon statuere malit, quum tamen rationem vix cuiquam probaturum certum habeo.

Vs. 26.

Petr. Bersm. Nec enim, si bella quierunt, Occidit et virtus, ex qua lectione nescio qua de causa posteriora magis sibi placere ait Wernsdorf. Ceterum mihimet ipsi recepta scriptura nequaquam placet,

cum potius, id quod sensit, quicunque alteram lectionem effinxit, exspectetur namque pro tamen, cuius particulae hic nulla ratio est, cum poëta hoc ipsum explicare velit, cur aequari debeat Piso maioribus suis.

Vs. 27. sqq.

Licet exercere togatae Munera militiae. Simili prorsus metaphora Noster Silv. V., 2, 108. sq., quem locum jam comparavit Wernsdorf „medii bellare togata Strage fori.“ V. ibi Markland. Similiter dixit Val. Max. VII. 7, 1. „togatam ingredi militiam.“

Vs. 29.

Legitimo sub judice. Similis praepositionis sub usus reperitur Theb, VII., 509. „regnum jam me sub judice posce.“ Calpurn. eclog. II., 10. „Et magnum certamen erat sub judice Thyrsi.“ Sil. Ital. „seroque piget sub judice culpae.“ Ovid. Met. XIII, 190. „Difficilem tenui sub iniquo judice causam.“

Vs. 30.

Hinc quoque. Petr. hic quoque contingeт, ex qua lectione hic probabatur Cortio, ita ut locus potius significaretur, quam res, ex qua gloria illa contingit, id quod exprimi particula hinc facile patet.

Vs. 31.

Ritus huius non infrequens mentio est. Satis clare eum indicat Juvenal. VII, 118, „rumpe, miser, tensum jecur, ut tibi lasso Figantur virides scalarum gloria palmae.“ — Etiam Martialis VII, 28. „Sic fora mirentur, sic te palatia laudent, Excolat et geminas plurima palma fores.“ Hinc palmam forensem dicit Ausonius in Prof. II. 7. Plura de eo ritu v. apud Casaubon. ad Sueton. Domitian c. 23. et Sagittar. de Januis, p. 223.“ Wernsdorf. Ceterum Casaubonus l. l. legit altaque victores, nulla prorsus, quod sciam, auctoritate.

Vs. 35.

Vigente. Petr. miro errore juventa.

Vs. 36.

Bersm. comparavit Cic. de Off. I., c. 22. „Cedant arma togae, concedat laurea linguae.“ —

Laurea c. e. laureata. Weber.

Vs. 37.

Petr. Bersm. Sed quae Pisonum claros visura triumphos cet., manifesta interpolatione. Ceterum ne quis offendatur particularum olim et quon-

dam copulatione, obstat Terent. Eunuch II, 2, 15 „Olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius.“

Vs. 40.

Facundia. Similiter de eloquentia forensi Noster Silv. IV, 4, 45; II, 6, 95, Lucan. VII, 67.

Cum colon adhuc poneretur in fine hujus versus, plene distinguendum mihi fuit.

Vs. 41.

Decemviri litibus judicandis, ab Augusto instituti vel restituti, (Suet. Aug. 36), qui hasta posita centumvirale judicium cogebant, unde hasta centumviralis audit. Martial. VII, 63: Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum.“ Plura Torrentius ad Sueton. Vespas. 10, Hasta judiciorum, auctionem publicarum, venditionum locationumque signum, de qua Caelius Rhodig. lib. XXI. 17. Ovid. Pont. IV, 5, 19: Aut populi reditus positam componet ad hastam“ Wernsdorf. Ex ipso Statio conferri Lindenbrogius jussit Silv. IV, 4, 43: Cessat centeni moderatrix judicis hasta.“

Vs 44.

Petr. mira corruptela: dura Piso nam. Edd. ante Junium et Scaligerum, itemque Bersm. namque ubi, quod falso verum putabat Wernsdorfius. Neque enim protasin efficiunt vss. 44 sqq., quam justa apodosis excipiat, sed singula membra seorsum stant, qua re vividior fit descriptio. Sed quamvis ubi rejiciendum esse putem, namque tamen, quo ducunt ipsa ed. Petr. vestigia, non de nihilo est. Nam si recepta scriptura admittatur, verbis tu quoque cogitatione opponitur non solum ceteri, cujus oppositionis hic nulla omnino causa inveniri potest, cum ratio reddatur, cur Pisonis laudibus resonet forum. Quamquam non ignoro, nonnunquam quoque non ei voci additum reperiri, ad quam proprie referatur. Sic Silv. I, 4, 76 sqq. de Gallico: Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello: Hunc quoque perque novem timuit Pamphylia messes, Pannoniusque ferox, arcuque horrenda fugaci Armenia, et patiens Latii jam pontis Araxes.“ Calpurn. Ecl. IV, 125 sqq.

Ille dat, ut primas Cereri dare cultor aristas
Possit, et intacto Bromium perfundere vino;
Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas;

Ut quoque turba bono plaudat saginata magistro,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

Curt. VI, 6, 5: „Et ille se quidem spolia Persarum gestare dicebat: sed cum illis quoque mores induerat,“ — ubi frustra Bothius mores quoque transponit. Senec. Consol. ad Marc. 1. „Quemadmodum omnia vitia penitus insidunt, nisi, dum surgunt, oppressa sint: ita quoque haec tristia et misera, et in se saevientia, ipsa novissime acerbitate pascuntur, et fit infelicis animi prava voluptas dolor.“

Vs. 45.

Petr. Bersm.: tentas, victus cet., ex qua lectione tentas quidem improbabat Wernsdorfius, victus autem retinendum esse censebat, quae tamen ratio vix cuiquam probabitur, cum sua sponte et victus non bene componantur. Similiter Cicero de Oratore II, 44: „Si se dant judices et, ut ante dixi, sua sponte quo impellimus, inclinant atque propendent.“ Quam autem aptum ducis totius loci sententiae sit, satis apparet ex simili loco Sil. Ital. XV, 457 sqq. de Laelio. „Ille, ubi suspensi Patres et curia vocem Posceret, ut cantu ducebat corda senatus.“ Voce affectus similiter usus Plinius est Dialog. de Orat. 6, accipere affectum, quemcunque orator induerit.“ Ad verba denique possessa pectora apte contulit Wernsdorfius Ovid. Amor. I, 2, 8. „Et possessa ferus pectora versat Amor.“

Vs. 47.

Bersm. si flere libet, quod recte pravum dicit Cortius. Ceterum male in verbis sequentibus conjecit Casp. Barthius vocatus pro coactus.

Vs. 48.

Petr. Bersm: si non habet iram, quam lectionem jam Cortius more suo minus elegantem esse dixit. Ceterum eodem modo Pseudo-Tibull IV, 1, 46. sq. seu judicis ira Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.“

Vs. 49.

Thessalos, utpote equitandi arte praecellentes, in ludis Circensibus illa aetate adhibitos fuisse, docet Wernsdorfius e Sueton. Claud. c. 21. Hinc in alia comparatione Petron. c. 89, v. 58 sqq. „Ceu ubi solet nodo remisus Thessali quadrupes jugi Cervicem et altas quatere ad ecursum jubas.“ De voce auriga haec Scali-

ger: Hic auriga tantum eques. Nam aurea τα ἡνία. In veteri glossario Aurex, solitarius, ἱππαστής. Solitarium vocat, qui equo singulari vehit, h. e. τὸν κέλητα, qui et Singulator in eodem lexico dicitur.“ Nostro quidem loco num de hac vocis auriga vi cogitaverit poeta, vehementer dubito. Etenim aurigas modo binis equis, modo singulis usos esse facile patet.

Vs. 52.

Torquet in auras. Haec verba plane desunt in ed. Petr. Cortius quosdam aures exhibere affirmat. Casp. Barthius conjecit in armos, quam conjecturam mirum est probatam esse Wernsdorfio, qui tamen probe hunc esse vulgatae sensum perspexerat. „Significatur adtrahere frenum et equum coërcere, quod auctor opponit antecedenti permittit habenas.“ Sed hoc ipso omnem inutilem esse emendationem facile intelligitur, propterea quod adtractis frenis equi rictus in auras erigi solet. Ad rem contulit Wernsdorf. Pseudo-Tibull. IV, 1, 91 sqq. „Aut quis equum celerem arctato compescere freno Possit et effusas tardo permittere habenas inque vicem modo directo contendere cursu, Seu libeat curvo brevius compellere gyro.“

Vs. 54.

Carpere cursus. Haec verba male componit Reichardus cum talibus locutionibus, quales sunt somnos carpere, iter carpere, quibus simile est, quod dixit Statius Theb. I, 310 sq. „Sublimes raptim per inane volatus carpit.“ Rectius Wernsd., ad quam explicationem ipsam adjectum effusos ducere poterat, significari his verbis dicit cursum effusum in minores artioresque passus corripere breviore gyro conficiendo. Pergit ita Wernsdorfius: „Elegantius hoc expressisse videtur Ovid. Her. IV, 79: Sive ferocis equi luetantia colla recurvas; Exiguo flexos miror in orbe pedes.“ Gyrus, qui et orbis, proprie ad equitandi exercitationem pertinet, et usum ejus vocis pluribus locis adstruxit Heynius V. C. in observatt. in Tibull. p. 193, quibus addi possunt, quae ipsi protulimus tomo III. P. M. ad Lyr. III, 3.“

Vs. 56.

Per tua pondera, i. e. per tuorum verborum pondera Contulit Wernsdorf. Valer. Flacc. I, 39 „fictis dat vultum et pondera verbis.“ Et Nostri Theb. I, 212 sq. de Jove „grave et immutabile sanctis Pondus adest ver-

bis.“ Ibidem v. 289: „nostri reverentia ponderis obstat.“ Ceterum jam Cicero sic locutus est ad Famil. XV, 4, 25 „cujus ego semper tanta esse verborum pondera putavi, ut cet.“

Vs. 57.

Apte ad sententiam contulit Wernsd. Silv. V, 3, 103 sqq., ubi Statius eandem laudem patri suo tribuit, his versibus: „Omnia namque animo complexus et omnibus auctor, Qua fandi via lata patet, sive orsa libebat Aoniis vincire modis, seu voce soluta Spargere et effreno nimbos aequare profatu.“

Vs. 58.

Ad rem confer Auson. Idyll. XI, 66 sqq. „Trinum dicendi genus est, sublime, modestum Et tenui filo.“ Ulysses, Menelaus et Nestor tamquam diversorum horum generum exempla proponuntur a Quinctiliano XII, 10, 64. sqq., cui addendus est Gellius VII, 14, quem locum adposuit Bersm.

Vs. 59.

Non satis attendit ad loci sententiam Marklandus, quum ad Silv. V, 3, 160 verbis solutis, ut quidem ibi corrigit, contraria esse putavit nostra: voces in nodum adstrictas, quasi vero haec significent: verba in versus redigere. Imo significant idem, quod Plin. Epist. IV, 20 dicit: adstricte dicere. Simili dictione Calpurn. Ecl. X, 68 sqq. „fluorem lactis — in niveas adstrictum cogere glebas.“ Nodosus non dissimiliter posuit Noster Silv. I, 6, 58 „quos Natura brevi statu peractos Nodosum semel in globum ligavit“, quem locum contulit Wernsd.

Vs. 62.

Dulcia. Dulci Petr. Bersm.

Liquidoque fluentia cursu. Hac metaphora a fluminibus petita, quae liquido fluunt cursu, quum torrentes turbidi manent, oratio significatur facile perspicua, neque ullis argumentorum tricis impedita. De Baeti fluvio Calpurn. IV, 41 sqq.: Liquidis ubi cursibus ingens. Dicitur occiduas impellere Bactis arenas“, ubi liquidis falso explicavit in glossario Dan. Beck, per aquosis. Sed quem ejusdem Calpurnii versum cum hoc loco comparavit Wernsd. IV, 150 „tam liquidum, tam dulce sonant,“ minime ille quidem cum nostro conferendus est, cum illic liquidum idem esse quod clare satis appareat.

Vs. 66.

Numerosa laude, i. e. innumerabilibus laudibus, *mit unzähligen Lobsprüchen.* Diversus ab hoc loco Plinianus est a Wernsd. collatus, qui Paneg. 28. dixit: numerosa gloria tua. Similiter Noster Theb. I, 435, „progrediens numerosa luce“ et in ipso nostro carmine v. 9. 11 „pleni numeroso consule fasti.“ Contra Pliniano loco similior est ille Silv. V, 1. 85. sq. „nec enim numerosior altera sacra Cura domo.“

Vs. 69.

Reticente. Petr. Bersm. retinente, cui scripturae nulla prorsus sententia subest. Reticente recte Wernsd. idem esse statuit, quod attente audiente.

Vs. 70. sqq.

„Gratias egisti Caesari oratione consulari, quod imprimis fieri solebat, ubi consul a Caesarie suffectus erat. Et Plinium Consulem suffectum Panegyrico, qui extat, gratias egisse Traiano constat.“ Wernsd. Canere nostro loco de oratione soluta accipiendum. Sic Pseudo-Tibull IV, 1, 36. „Undique quique canent vincto pede quique soluto.“

Vs. 72. sqq.

Ut supra jam dixi, illi carminis nostri versus, qui nunc v. 250 usque ad finem leguntur, ante Junium jam post vers. 71 inserti erant. Utri igitur loco magis convenire judicandi sint, quaerendum jam erit. Atque equidem plerosque mecum sensuros confido, si Junii ordinem unice probandum esse contendero. Falso enim Wernsd. filius in Supplem. ad tom IV vol. IV, p. 3. pag. 1470. „Manifesta, inquit, est connexio extremi versus „Plura supersunt, quae laudare velis inventa penatibus ipsis“, et eorum, quae v. 72, sequuntur „Huc etiam tota concurrit ab urbe juventus cet.“ Hoc quidem ordine versuum facto carmen nostrum desinit in v. 249, in quo non satis adparere decursus et finis carminis videtur, unde Scaliger et alii suspicati sunt finem carminis deesse, sed fortasse abruptum ab ipso auctore et imperfectum ad nos pervenit, aut etiam extremorum versuum incommoda transpositio a librariis facta est. Nam si forte hi versus post v. 240 inserantur, omnino commodius carmen desinit in v. 246.“ Et verba quidem inventa penatibus ipsis manifesto perperam intellexit Wernsd. pater, qui in adnotatione ad v. 260. ita scribit: „Omisso consilio laudandi graviora Pisonis acta

publica et forensia, cf. v. 150, quae majora tuis viribus sunt, v. 252. sqq., confer te, Calliope mea, ad res ejus privatas virtutesque domi et inter familiares exercitas, in quibus sane multa invenies, quae laudare velis.“ Imo haec sententia poëtae verbis subest: „praeter has, quas paulo ante enumeravi, Pisonis laudes, aliae etiam exstant, quas tum demum accuratius cognosces, quum ipsum in ipsius domo propius inspexeris.“ Omnino pessime finiretur carmen v. 249. Etenim poëta etsi v. 247 aptiorem se professus est ad pangenda carmina, quum quisquam ipsius aetati convenire judicaverit, tamen ad alia quidem se paratum esse dicit, ipsis autem Pisonis verbis carmine referendis sufficere se negat, id quod vel sequens comparatio docet, qua aperte, quid sibi voluerit poëta, docemur.

Vs. 72.

„Huc, in domum Pisonis, quum per ferias exercitationis causa domi declamet.“ Weber. Haec una profecto particulae huc explicatio probabilis est. Nam quomodo Reichardus huc de curia accipere potuerit, intelligere non queo. Ceterum ne opus quidem est, ut huc tam definite ad certum quendam locum restringatur. Etenim saepius ex sola orationis continuatione, quo spectet huc, intelligitur, et sic dicitur, ut postea demum res singularis propius significetur, quod nostro loco factum est verbis auditura virum, scilicet quocunque loco fuerit Piso. Cf. Nostri Silv. III. 3, 1. sqq. „Summa Deum pietas. — Huc vittata comam nivesque insignis amictu Mitibus exequiis ades“ — V, 5, 13. sq. „Huc patres et aperto pectore matres Conveniant, crinemque rogis et munera ferte,“ Sil. Ital. XV., 359. „Huc, decus, huc, nostrum, lateri te junge paterno“ XVII., 305 sqq. „Huc prima te siste acie;“ Virgil. Aen. II., 18. sqq. „Huc delecta virum sortiti corpora furtim includunt caeco lateri.“

Virum similiter dictum Silv, III., 1, 90. „Corda subit blandisque virum complectitur ulnis,“ ubi sine causa Marklandus corrigebat animum. Similiter Sil. Ital. XVI., 259. „Complexusque virum, firmemus prospera, dixit, Omina,“ XVII., 567 Tum Juno miserata virum.“ —

Vs. 74.

Prolatis rebus. De re v. Manut. ad Cic. pro Murena 13. Intelliguntur autem feriae aestivae, cum vel

uno Plinii testimonio Epist. VIII, 21, 2. satis constet, Julio mense maxime lites interquiescere solitas esse. Similiter etiam Statius loco a Wernsd. jam allato Silv. IV, 4, 39. sqq. „Certe jam Latiae non miscent jurgia leges, Et pacem piger annus habet messesque relictae Dimisere forum.“

Turbida jurgia. Similiter fora turbida vocantur Silv. l. 4, 10.

Vs. 75.

Proludit. Ferd. Handius ad Stat. pag, XIV., dum de confusione verborum proludere et praeludere loquitur, utrumque quidem verbum a Romanis usurpatum esse monet, sed tamen bonorum quemque scriptorum certo judicio alteram formam comprobasse videri, Statium autem praetulisse praeludere, uti esset Achill. l., 19. „Magnusque tibi praeludit Achilles.“ Qua ex causa Silv. l. praefat. praeluserit praeferebat vulgatae proluserit in verbis illis: „nec quisquam est illustrium poëtarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore proluserit.“ Cum nostro loco nihil varietatis reperiatur in libris, ne Silvarum quidem loco mutare quidquam ausim equidem.

Compositisque litibus, i. e. fictis controversiis, ut recte explicat Wernsd. Opponuntur enim verae lites, ut est apud Plin. Epist. III, 3, 5, „Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus.“ Comparavit Wernsd. dialog. de Orat, c. 35. „Controversiae robustioribus assignantur, quales per fidem, et quam incredibiliter compositae.“

Vs. 77.

Profluit. Bersm. perfluit pessime. Ita profluens sermo laudatur in Julio Secundo a Plin. dial. de Orat. II.

Vs. 78.

Urbi. Restitui librorum scripturam. Etenim inde a Cortio nulla prorsus auctoritate in edd. exprimebatur undae, cui voci hoc loco vix illa sententia subest: Atticorum eloquentiae, uti putavit Reichardus.

Pro sonat male sonas reponendum esse putabat Wernsd. Sonat enim eodem jure dictum, quo paulo ante legitur proludit, sc. Piso, quem v. 73. per virum significaverat.

Commemoranda denique prodigiosa N. Heinsii con-

jectura est a Burmanno ad Anth. Lat. tom. I. pag. 743 prolata eique probata: favus aemulus, quia favus mel, thymum, ros Cecropius pro graeca eloquentia poni soleant.

Vs. 79. sqq.

De re v. Proleg. pag. 14 sq.

Referens. Quemadmodum referre patrem non solum dicitur is, qui similis est patri, quae frequentior significatio est, sed etiam simpliciter significat hoc vel illo patre natum esse, velut Virgil. Aen. VII, 48. sqq. „Fauno Picus pater; isque parentem te, Saturne, refert — et Georg III., 120. sqq. de equo „quamvis — patriam Epirum referat fortesque Mycenas“: sic etiam referre hic intelligendum de origine, quamquam etiam de ipsa institutorum similitudine accipi potest. Similiter Sil. Ital. I, 235 sqq. de Limia. „Quique super Gravios lucentes volvit arenas, Infernae populis referens oblivia Lethes“ Juvenal II, 170. „Sic praetextatos referunt Artaxata mores.“

Arcem. Similiter Lucan III, 340 de Massilia „post translatas exustae Phocidos arces.“

Vs. 81.

Qualis — qualis. Frequentior, quam alii poëtae, in talibus vocum geminationibus Statius est, in quibus accidit, ut plerumque simul quantitas varietur. Sic Theb. VII, 214. „ubi fletus? ubi tunc ars tanta precandi?“ VIII, 486 „puer, ille, puer“; X, 218 „soluseo, solus“; VI, 367 „ambo pii, carique ambo“; III., 354. „juvat isse, juvat“; Silv, IV, 6, 36: „Deus ille, Deus“; V, 1, 237; „domus ista, domus“; V, 5, 69, „meus ille, meus“; coll Achill. I, 528. Crebrior ea repetitio est in adverbio procul cujus exempla leguntur infra v. 116, Silv. III, 3, 13. „procul, hinc, procul ite nocentes.“ Sil. Ital. XVII, 28. „Et procul hinc, moneo, procul hinc, quaecunque profanae, Ferte gradus;“ — Virgil. Aen. VI, 258. „procul o, procul este, profani.“

Io superi. Sic plane Silv. I, 4, 1. „Estis, io, superi, nec inexorabile Clotho Volvit opus.“

Vs. 83.

Locos. „Laudat vim argumenti in oratione Pisonis, quae a thesi sive loco communi verbis splendidis et vibrantibus sententiis exornando, procedit ad hypothesin, sive res singulas inde colligendas“ Wernsd. Reichar-

dus perverse locos pro loca dictum putabat, ut idem esset, quod: audientium et circumstantium aures implent, delectant vocis gravitate.“

V. 84.

Excusso torno. i. e. detornata, quemadmodum dixit Gellius loco a V. adlegato. IX, 8. „Hanc sententiam memini a Favorino inter ingentes omnium clamores detornatam inclusamque verbis paucissimis.“ De vocis torni usu apte conferri jubet Wernsd. Bentleium ad Horat. A. P. 441 — Excutere, quod hic idem significare quod deponere satis apparet, verbum est familiare Nostro. Sic Achill. II, 28 de Sole „Nondum excusso rorantem lampada ponto“; Theb. VII, 552. „Ante haec excusso frondescet lancea ferro; VI, 442, „omniaque excusso patuere sedilia vulgo“ Calpurn. Ecl. III, 47: „Dum excusso dispergit lumina somno.“

Vs. 85.

Et si. Petr. Bersm. etsi. Sed cf. Silv. III, 5, 19. sqq. „Quamquam et si gelidas irem mansurus ad Arctos, Vel super Hesperiae vada caligantia Thules, Aut septemgemini caput haud penetrabile Nili, Hortarere vias.“

Permulcere. Petr. Bersm. perfulcire pessima interpolatione. Similiter Noster Silv. V, 3, 215 sqq. oratione ad patrem conversa. „Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres Mulcerem.“

Vs. 87.

Exonerare. Contulit Wernsd. Petron. c. 133. v. 10 sqq. in carmine ad Priapum. „Exonera mentem culpaeque ignosce minori.“ Exornare unde hauserit Reichardus, nescio equidem.

Vs. 88.

Super ista. Frequentat haec aetas pronominis iste usum pro ille. Sic ipse Noster Silv. I, praef.: „Quamquam metuo, ne verum istud versus quoque ipsi de se probent.“ Super ista similiter Seneca Natur. Quaest. VII, 5; Columella I. praef.; Plin. Epist., V, 5, 2. Idem Pan. 8. „Irritamentum istud irarum et fax tumultus fuisset, nisi incidisset in te;“ Sueton. Calig. 23. „per istius modi indignitates et taedia; Tacit. Agric. 40. „Sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum et compositum est.“ Curt. V, 5, 3. „Nullam virtutem regis istius magis quam celeritatem laudaverim“ sc. Alexandri, cujus facta describunt libri illi. Calpurn. Ecl. V, 91. „Obfuit iste malis odor angui-

bus.“ Neque tamen infitias eo, non raro in hac re a librariis peccatum esse. Sic Plin. Epist. I, 5, 7 pro istud ex edd. Rom. et Venet. illud recipiendum erit.

Vs. 89.

Insigni — visus. Jun: insigni — visu. Petr. insignis-visu. Insigni — visus recte editum a recentioribus est, cum visus, quod creberrime legitur apud Nostrum aliosque pro oculis, necessario requiratur ob verbum praestringit.

Vs. 91.

Fluidum. Ad sententiam apte similem Nostri locum comparavit Wernsd. Silv. V, 2, 73 sq. „Tunc hilaris probitas et frons tranquilla nitorque Luxuriae confine timens.“

Laeta tetricitas. Eodemprorsus modo Velleius Patercul. II, 127. Seianum virum severitatis laetissimae appellat, ubi v. Ruhnken. Ipsam vocem tetricitas alibi me legere non memini. Wernsd. comparavit Sil. Ital. VIII. 610 sqq. de Bruto: „Laeta viro gravitas et mentis amabile pondus, Et sine tristitia virtus. Non ille rigoris Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat.“

Vs. 93.

Honos. Similiter Theb. IV, 745 sq. „Regales tamen ore notae, nec mersus acerbis Exstat honos“; Silv. I, 1, 17. de Domitiani statua „par forma decorque, Par honos“; Theb IV, 335, „Exspecta, dum major honos, dum firmius aevum“; II, 161 sqq. de Adrasti filiabus.“ Quantus honos — super hesternas licuit cognoscere mensas.“ Achill. I, 225 „tantus honor formae.“

Vs. 94.

Justa fides libri, quam lectionem erunt, qui talibus exemplis defendant, qualia sunt Silv. V, 5, 56 sqq. „(dicor) in lacrimis justum excessisse pudorem“ coll. Theb. VIII, 605 sqq. „Insurgunt justo firmata pudore Agmina“ quibus locis justus pudor is intelligitur, qualis esse debet. Theb. V, 273 sqq. „Haud unquam justo mea cura labori Destitit“ i. e. labori, quem suscipere aequum erat. Theb. I, 530 sqq. „Et fidissima custos Lecta sacrum justae Veneri occultare pudorem“ i. e. conjugio futuro, quod opponitur illicitae et immaturae libidini. Similiter Virg. Aen. X, 11, „Adveniet — justum pugnae — tempus.“ Aliis locis justum id dici constat, quod suis numeris absolutum

est, velut Horat. Sat. I. 4, 63. „Justum sit necne poëma“ Sil. Ital. XIV, 201 sqq. de Myle „justi quondam portus.“ V. Markl. ad Silv. I, 4, 84. Sed haec omnia nequaquam convenire in locum nostrum puto, et pravum existimo justa fides, quae cur hoc loco ejusmodi epitheto ornetur, quo intra justos fines restringatur, quasi opponatur injustae fidei, rationem non perspicio. Itaque haud scio an scribendum sit casta fides, quo epitheto non solum conjugalis fides laudatur, quemadmodum factum est Silv. V, 1, 154 sq. „Quid probitas aut casta fides, quid numina prosunt Culta Deum“, sed etiam ea fides, quam ceteri homines praestare inter se solent, velut Sil. Ital. XIII, 284 sqq. „Foedera mortales ne saevo rumpite ferro, Sed castam servate fidem“; I, 481. „Fer tecum castamque fidem servataque jura.“ Ceterum similem sententiam habet Noster Silv. IV, 6, 91 sqq. „Sed casta ignaraque culpae Mens Domini, cui prisca fides coeptaeque perenne Foedus amicitiae.“

Vs. 95.

Ferrugine de avaritiae cupiditate capiebat Bersm. coll. loco Horat. A. P. 330 sqq. „At haec animos aerugo et cura peculi Cum semel imbuerit.“ Rectius Wernsd. „Ego malim de simulatione, invidentia et malignitate accipere secundum illud Horatii Sat. I, 4, 101. „Hic nigrae succus Loliginis, haec est Aerugo mera“ et Martial. II, 62, 5. „Nimiaque aerugine captus Adlatras nomen, quod tibi cunque datum est.“— Ferrugo enim tamquam proprius color invidiae tribuebatur. Sic Ovid. Met. II, 798.„ (invidia) pectusque manu ferrugine tincta tangit.“ Similiter idem Ib. 233 sqq. Furias invidi sui adversarii membra vinxisse dixit „tinctis ferrugine pannis.„ Eodem modo Noster Theb. I, 600 Sphingi tribuit ferrugineam frontem. Hinc Auson. Epist. 24, v. 62. „Livor ubi iste tuus ferrugineumque venenum.“

Vs. 96.

Ita plane Silv. I, 2, 121, quem locum jam Wernsd. contulit, Venus de Violantilla haec dicit: „Huic quamvis census dederim largita beatos, Vincit opes animo.“

Vs. 99.

Animosa indulgentia, i. e. celeriter et large succurrens. Sic Suet. Caes. 47. „Gemmas, toreumata, signa, tabulas operis antiqui semper animosissime compa-

rasse (dicitur).“ Tacit. Hist. I, 24. „quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos praemiis intendebat, adeo animosus corruptor, ut Coccejo Proculo speculatori de parte finium cum vicino ambigenti universum vicini agrum sua pecunia emtum dono dederit.“ Ceterum indulgentia, quam vocem alias de illius aetatis imperatoribus usurpatam fuisse satis constat, eadem significatione legitur Silv. III, 3., 149 sqq. „Etrusci, Cui tua non humiles dedit indulgentia mores“; Calpurn. Ecl. IV, 32. „Tua nos alit indulgentia farre.“

Beatum. Miro modo Cuperus observ. III, 1. voce beatus offensus reatus emendabat, h. e. eum, qui ob magnitudinem aeris alieni reus factus esset. Sed reatum pro eo, qui reatus factus sit, inusitatum et inauditum esse, recte jam monuit Wernsd., qui aptissime contulit Claudiam de Consul. Prob. 46. „Cernere semper erat populi undare penates, Assiduos intrare inopes, remeare beatos.“ Beatus similiter positum legitur Silv. I, 6, 49 sqq. „Jam se (quisquis is est) inops, beatus, Convivam ducis esse gloriatur.“

Vs. 101.

Clientum. Petr. Bersm. colentum, pessima interpolatione.

Vs. 106.

Rara — non, i. e. multae domus. Similiter Martial X, 27, 1: sqq. „Natali, Diodore, tuo conviva senatus Accubat et rarus non adhibetur eques.“

Vs. 107.

„Fastosa vox argenteae latinitatis. Martial, X, 13, 7. Fastosae limina moechae“ Wernsd. Adde Petron. c. 131. „Quid est, inquit, fastose, ecquid bonam mentem habere coepisti?“

Vs. 108.

Illi. Sic de docti cujusdam viri apud Cortium, quem Casp. Barthium esse puto, emendatione scripsi pro librorum lectione illic, quae vera esse nequit, quod requiritur omnino accuratior hominis, ad quem constet referatur, significatio. Sic plane Senec. de tranquillitate animi VII fin. „Constet illi licet fides et benevolentia, tranquillitati tamen inimicus est comes perturbatus et omnia gemens“; de constant. sap. XVII de Fido Cornelio: „Adversus alia maledicta mores et vitam convulnerantia frontis illi firmitas constitit.“

Vs. 109.

Probitas cum paupertate, i. e. talis, quae cum paupertate conjuncta sit. Paucis hunc praepositionis usum attigit Hand. Tursell. voll. II, p. 155. Sic infra v. 128. „Facundia Adducta cum fronte“ Silv. V, 1, 62. „Mallet cum paupertate pudica Intemerata mori.“ Senec. Phoen. 624 „regna cum scelere omnibus Sunt exsiliis graviora“ Tacit. Hist. IV, 74 „Moneant vos utriusque fortunae documenta, ne contumaciam cum pernicie, quam obsequium cum securitate malitis.“

Jacebit. Plane ut Ovid. Fast. I, 218. „Pauper ubique jacet.“ Wernsd. contulit Claudian. de Stilich. lib. II, 128. „Opibusque fluens et pauper eodem Nititur ad fructum studio, cum cernat uterque, Quod nec inops jaceat probitas, nec inertia surgat Divitiis.“

Vs. 110.

Wernsd. Santenium in literis ad se datis conjecisse scribit: et lateri, eamque conjecturam in textum recepit Weber. Recte quidem sed mendosum esse intellexerunt viri illi, cum praesertim ea particula sequenti versu repetatur. Sed hoc loco, quo explicari potissimum par est, quomodo probitas cum paupertate conjuncta jaceat, nam potius particula requiritur.

De re Wernsd. „Inter officia patrono praestanda inprimis erat deductio et affectatio, qua latus tegere, claudere dicebantur.“ Sic Martial II, 18, 5: „Sum comes ipse tuus tumidique anteambulo regis.“ Idem IX, 101: „Mane togatum Observare jubes atria, Basse, tua: Deinde haerere tuo lateri, praecedere sellam.“

Idem de mercede clientibus tribui solita conferri jussit Juvenal Sat. V, 12 sqq. „Primo fige loco, quod tu discumbere jussus Mercedem solidam veterum capis officiorum. Fructus amicitiae magnae cibus; imputat hunc rex Et, quamvis rarum, tamen imputat.“ Martial II, 7: „Centum miselli jam valete quadrantes, Anteambulonis congiarium lassi.

Vs. 113.

Ex aequo. Sic plane Suet. Tib. XI. „Mutuaque cum Graeculis officia usurpans, prope ex aequo.“

Regat — regatur. Ex hoc loco recte emendavit Marklandus locum Silv. III, 3, 49 sqq.„ Vice cuncta reguntur, Alternisque regunt,“ ubi libri habebant premunt.

Vs. 114.

Munerat. Petr. Bersm. focilat horrenda interpolatione.

Pudibundos. Similiter passiva significatione legitur apud Justin. XXIII, 4, 5 de Hierocle. „Maternum illi genus sordidum, atque adeo pudibundum fuit," ubi Berneggerus loci nostri non fuit immemor.

Vs. 115.

Exercere sales. Similiter verbum exercere positum legitur Silv. IV praef. „Exercere autem jocos non licet?"

Vs. 116.

Ista labes. Petr. Bersm. Ipse — livor. Petr. tamen in margine labes. Pronomen iste similiter usurpatum legimus his Nostri locis Theb. X, 588. „Sera ista fides"; XI, 684 sqq. „Timida inclementia regum ista"; XII, 570 „vos ista decet vindicta"; 590 sq. „Quae nam ista novos induxit Erinnys Regnorum mores?"

Vs. 118.

Contulit Wernsd. Claudian VI. Consul. Hon. 61, de Theod. August: „Privataque passim Visere deposito dignatus limina fastu."

Vs. 121.

Cuncta domus. Ex hoc loco scribendum puto Theb. I, 516 sqq: „Vario strepit cunctatumultu Regia" ubi adhuc cum libris legebatur icta. Diversus enim est locus Theb. X, 120 sqq: Zonis lucentibus icta Evigilat domus.

Vs. 122.

Dura. Eodem sensu Noster Theb. V, 436: „Duraeque similem nihil Orphea Thracae"; Sil. Ital. VIII, 292. Durae reverentia plebis."

Vs. 124.

Novit. Sic plane Calpurn. Ecl. IX, 62 sqq. de luscinia. „Quae licet interdum contexto vimine clausa, Quum parvae patuere fores, ceu libera ferri Novit et agrestes inter volitare volucres, Scit rursus remeare domum —", ubi male cum Wernsd. Weberus edidit norit.

Vs. 125.

Pronus. In margine ed. Petr. promptus ex creberrima permutatione, quam librariorum culpae, quippe qui eodem modo contemptus pro contentus scribere solebant, attribuendam esse manifestum est. Neque enim omnibus locis pronus et promptus nullo sententiae discrimine substitui invicem possunt, quod, ut nunc se habet lectio, non raro factum esse statuendum foret, Sic

Noster altero Thebaidos loco: „cognoscere pronum“ at altero: „cognoscere promptum“, uti Virg. Georg II. 255. „promptum est oculis praediscere nigram“ Sic Tacit. Annal. XV, 25. „tam promptus in pavorem“; at idem Hist. II., 21. „municipale vulgus pronum ad suspiciones. Idem Annal. XIII., 8. „Sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant“; at idem II, 73. „favore in Pisonem pronior.“ Similiter apud Lucan I, 291. „In bellum prono tantum tamen addidit irae“ in cdd. est prompto, ut Flor. IV, 2, 10.: „Dalmatae in latrocinia promptissimi“; sed idem I, 455. sqq.: „Inde ruendi in ferrum mens prona viris.“ Nostro loco receptae lectioni pronus ratio utique constat, quippe qua propensus Pisonis animus significetur. Sic pronus legitur Silv. IV, 8, 61. sq: „Si modo prona bonis invicti Caesaris adsint Numina.“ Ad rem cf. Silv. III praefat. ad Pollionem „Quoties in illius facundiae tuae penetralia seductus altius literas intro, et in omnes a te studiorum sinus ducor.“ Qui alteram lectionem promptus defendent, ita explicare debebunt, ut mira Pisonis dexteritas intelligatur, qua amicos in omne studiorum genus ducebat. Sic Plin. Epist. V, 5, 1. de Cajo Fannio: „Erat enim natura acutus, usu exercitatus, varietate promptissimus.“ Cf. non dissimilem Nostri locum Theb. I, 191. „Non vilis in omnes prompta manus casus domino cuicunque parati“

Vs. 128.

Adducta cum fronte, i. e. quam decet gravitas. Contulit Wernsd. Sueton. Tiber c. 68. ubi is Tiberium incessisse scribit „vultu adducto plerumque tacitum.“ Praeterea de vocis adductus usu evolvi Lipsium ad Tacit. Hist. III, 7. jussit. Amat autem eiusmodi phrases per vocem frons Noster. Sic Silv. II, 6, 65. sq. „Paterere serena fronte Deos,“ III, 4, 27. „Misisti Latio placida quem fronte ministrum“ Theb. I, 166. „Cernis ut erectum torva sub fronte minetur Saevior adsurgens dempto consorte potestas?“

Nec semper. Libri non semper.

Vs. 129.

Classicus horror, i. e. classicum horrorem incutiens. Sic Sil. Ital. V, 223. sqq. „Feralique horrida cantu Buccina lymphatas agit in certamina men-

tes.“ Ipsum autem hoc adiectionum classicus alias non legi observat Wernsd. De re adlegat Heynium ad Tibull. I, 1, 14. Ceterum gemit eodem modo Juvenal VII, 71. „Surda nihil gemeret grave buccina.“

Vs. 130. sq.

Arcu Destinat. Petr. arcus, sicque legendum Reichardo videbatur, nisi arcu pro arcui acciperetur. Sed arcu illo ipso Statii loco, quem ob verbum destinare conferri Wernsd. jussit, satis defenditur, Theb. VII, 438. sq. „Phaedimon Jasiden arcu Dircaeus Amyntas Destinat.“ Nostro enim loco absolute destinat accipiendum et mente supplendum feras, quas venatur Gnossius.

Exemto nervo. Similem verbi eximere usum habet Noster Theb. X, 759. „Exemta manifestus cassidе nosci“ coll. Achill I, 300.

Vs. 132.

Et-et. Familiaris est Nostro hic repetitae particulae et usus. Sic Silv. II, 2, 63. „Et tu saxa moves et te nemora alta sequuntur;“ Achill. I. 605. „Et sexus pariter decet et mendacia matris. Eodem modo Theb. V, 737. sqq; II, 243; VI, 699; VII, 919; X, 889.

Vs. 133.

Natura, quod personae vicem sustinet, maiusculis literis scribi debuit, ut Theb. VII, 447; VIII, 380; X, 88; Silv. I, 6, 58; II, 1, 83; III, 2, 15. Ceterum N. Heinsius auctore P. Burmanno Anthol. Lat. tom. II, pag. 344. emendabat: „Ipsa vicis Natura suae variata recursus Ordinat“ — Wernsd. de ea re sic scribit: „Heinsii emendatio nec necessaria est et Horatii imitationem perimit.“ Scil. Carm. IV, 7, 3. „Mutat terra vices.“ Manifestum est, ab Heinsio perperam intellectum esse variata, quod idem est quod variam formam exhibens, non postquam variata fuit, ita ut propria perfecti vis urgeatur. Sic Lucan. IX, 711. de chersydro „Pluribus ille notis variatam pingitur alvum.“

Vs. 134.

Perpetuam totius naturae vicium mutationem describere coepit poëta. Quid igitur sibi volunt verba illa, quibus de natura dicit: „Inversis et frondibus explicat annum“? Wernsd. hoc significare poëtam putabat, totum annum natura continuis conversionibus et mutationibus, quae in frondibus praecipue intelligantur, peragi. Reichardus haec scripsit: „Inversis est

renovatis, et explicare hoc loco maxime proprium verbum de verno anni tempore, quo omnia, quae adhuc sub terra latuerant, flores, folia, frondes, quasi in conspectum prodeunt ac se expandunt.“ At enim inversis frondibus non est renovatis Inverti enim res dicuntur, si longe aliam formam ostendunt. quam antea habuerant. Sic Horat. Carm. III, 5, 7. „Pro curia inversique mores“ Propert I, 16, 30. „Annus et inversas duxerit ante vices.“ Quaenam forent igitur frondes inversae? Nam frondes vere nascuntur, auctumno autem decidunt, neque vero per totum annum durant. Deinde explicare non est aperire, quae vox recte diceretur de vere, ut est apud Virg. Georg. I, 217. sqq., sed significat omnes rei alicuius partes proferre, unde de exercitibus dicitur, velut Curt. IV, 9, 10. „Opportuna explicandis copiis regio erat“ Similiter Plin. Panegyr. 33., (Magna fortuna) omnia arcana noscenda famae proponit atque explicat.“ Explicare igitur ad omnes anni partes pertinet, quod quum sensisset N. Heinsius, sanari arbitrabatur locum hoc modo: „in vernis nec frondibus explicat annum.“ Qua scriptura hoc intelligere voluisse videtur Heinsius, annum non ver modo habere, sed plures tempestates. Recte intellexit Heinsius., singula anni tempora describi demum inde a versu 137. Sed permira tamen haec dictio est, et plane abhorret a ceterorum hominum consuetudine. Equidem levissima mutatione frontibus scribendum pro frondibus puto. Videtur enim mihi poëta eo, quod quadripartitis varietatibus anni facies mutatur, quae sunt verba Plin. Hist. Natur. XXV, 2. hunc naturae habitum comparare cum quadrato agmine, quod quatuor aequatis frontibus incedit. Sic Pseudo-Tibull IV, 1, 102. de exercitu. „Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo.“ Inversas igitur dixit frontes, quod inter se plane diversa est singularum anni partium facies, et eodem modo dictum, quemadmodum in aliare Virg. Georg III, 22, sqq. „Jam nunc solemnes ducere pompas Ad delubra juvat, caesosque videre juvencos; Vel scena ut versis discedat frontibus, utque Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.“ Ne quis objiciat, eadem fere jam in superioribus dicta esse, talem orationis abundantiam non alienam esse a Statii consuetudine, facile concedent, qui hunc poëtam propius noverunt. Sic idem Theb. X, 365. sqq. „Arca-

nae moderatrix Cynthia noctis, Si te tergeminis perhibent variare figuris Numen, et in silvas alio descendere vultu.“

Vs. 135.

Fluidis. Inutilis est N. Heinsii coniectura pluviis legendum censentis. Contulit ad librorum lectionem defendendam Wernsd. Lucan, IV, 77. „Spissataeque fluunt nubes,“ quo tamen loco rectius cum aliis legitur ruunt.

Adopertus nubibus aether. Transtulit haec verba Statius ex Ovid Fast. II, 71. Recte enim ibi locum nostrum contra ceterorum librorum Auster exhibentium lectionem adhibuisse Burmannum facile intelligitur, propterea quod adopertus nubibus auster ne dici quidem potest.

Vs. 137.

Cessat hiems. Similem verbi cessare usum animadvertimus Silv. IV, 4, 43. „Cessat centeni moderatrix judicis hasta“; Theb. X, 537. sqq. „Qualiter aut Malean, aut alta Ceraunia supra Cessantes in nube sedent nigrisque teguntur Collibus et subitae saliunt in vela procellae“; VIII, 132. sqq. „avidae tristis locus ille ruinae Cessat et inferni vitatur honore sepulcri“ XI. 591. sq. „Interea longum cessante magistro Crescat opus.“

Et siccat. N. Heinsius frustra coniecit: ut siccet. Ceterum eodem modo hiems ut senex depicta est ab Ovid. Met. II, 30. „Et glacialis hiems canos hirsuta capillos,“ quem locum Wernsd. contulit.

Vs. 139.

Nebulis cessurus et undis. Sic Bersm. et Cortius nescio qua auctoritate nixi scripserunt, sed convenienter huic loco. Sic prorsus Lucan. V, 453. sqq. „Nubila nusquam undarumque minae.“ Nimbis cessurus et undis Jun. et Scalig., quae lectio idcirco prava est, quod tautologiam huic loco infert. Petr. nubibus cessurus et undis, quae lectio versui repugnat. Casp. Barthius non male coniecit nivibus cessurus et undis, cum nubibus et nivibus permutari facillime potuerint, quemadmodum factum est a librariis Curtii V, 6, 15.

Vs. 140.

Recondit. Coniecit Wernsd. reponit, quemadmodum Theb. VII, 201. sqq. „Quoties jam torta reponam Fulmina.“ Putaverat fortasse, recondere de

gladiis quidem dici posse, de fulmine non item. Sed sic plane Ovid, Trist. II, 179. ad Augustum. „Parce, precor, fulmenque tuum, fera tela, reconde, Heu nimium misero cognita tela mihi.“

Vs. 142.

Sumit. Contulit Wernsd. similem locum Silv. IV, 2, 10. sqq. „Mediis videor discumbere in astris Cum Jove, et Iliaca porrectum sumere dextra Immortale merum.“

Gessit. Pulchram imaginem, quae inest in hac lectione, corrupit Wernsd. coniiciendo jecit. Etenim fere semper gestat fulmen Jupiter, sed quum nectar bibit vel alio modo animum oblectat, ponit. Recte ergo dictum esse gessit facile patet. Similiter Martial, V, 55, 112. „Dic mihi, quem portes, volucrum regiena? Tonantem. Nulla manu quare fulmina gestat? Amat.“

Vs. 143.

Temporibus servire. Sic Cic pro Caelio VI. tribuit Catilinae: „servire temporibus.“ Corn. Nep. Alcib. I. „temporibus callidissime inserviens.“

Vs. 145.

Gestiet. Bersm. pro varia lectione memoravit vestiet. Hanc amplexus M. Laguna ad Lucan. V, 529. edit. Cort-Weber. corrigendum censebat: vestiat. Et coniunctivus quidem prorsus alienus ab hoc loco est. Ipsum autem verbum vestiet magnopere languere vix quisquam negaverit. Sana vero librorum scriptura, modo locus sic intelligatur: sicut in bello armorum fulgor cetera omnia splendore suo obruit, sic in pace toga suo jure se jactat. Ceterum verbum gestire reddendum Nostro Theb. III, 73. sq. „Et consanguineo gestis regnare superbus Exsul“ pro vulgata: gliscis.

Vs. 147.

Per orbem. Petr. Bersm. per aevum, quae lectio cum jam Cortio praestabilior esse videretur, recepta a Webero est, nulla sane idonea causa. Sic etiam Ovid. Amor. I, 3, 25. de Corinna sua. „Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem.“

Vs. 148.

Vitales auras. Ex Virg. Aen. I, 387. sq. „Quisquis es, haud credo, invisus coelestibus auras Vitales carpis.“

Vs. 149.

Intra tua pectora. Ita plane praepositione intra

usus Noster est. Theb. VIII, 433. „hastam intra pectus euntem;“ Lucan IX, 648. „Haerebis pressis intra mea pectora membris.“ Juvenal IX, 43. „An facile et pronum est, agere intra viscera penem Legitimum?“ Apud aureae, quae vocatur, aetatis scriptores hunc praepositionis intra usum nondum me deprehendere memini. Neque enim huc pertinent loci tales, velut Virg: Aen. VII, 168. „intra tecta vocare aliquem.“

Vs. 151.

Si carmina forte. Scribendum puto: seu carmina forte, quae frequens dicendi ratio est sequente sive. Sic Horat. Sat. II. 2, 118. Virg. Ecl. VIII, 6. sqq.; Aen. I, 218.; Ovid. Met. IV, 639.; Lucan VII, 19.; Lucil. Aet. 522.; Noster Theb. I, 525.; IX, 325; X, 634.

Nectere. Sic plane Silv. II. 2, 114. sqq. „seu dissona nectit Carmina.“ Columell X, 12, 25. „gracilia connectere carmina.“

Vs. 152.

Fluitantia falso dicit Wernsd. esse carmina, quae verbis adhuc incompositis sint metro vinciendis. Talia potius sunt, in quibus non multum curae ponitur, quod carminum genus otio potissimum convenit. Huic sententiae egregie conveniunt verba ludenti versu. Hinc Noster Silv. I, 2, 267. „Eia, age, praeclaros Latio properate nepotes, Qui leges, qui castra legant, qui carmina ludant.“ Cf. Plin. Ep. VII, 9, 19.

Vs. 154.

Comparavit Wernsd. Virg. Aen. VI, 647. „Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno“, ubi e nostro loco pro eadem Markland. ad Silv. pag. 181. emendandum putabat nulla quidem idonea causa: jamque fidem. Ceterum chelys et testudo eodem modo juxta posita, ut testudo pars tantum sit, apud Sil. Ital. XI, 441. sqq. „Argolicis quondam populis (mirabile dictu) Exaudita chelys, lapidem testudine felix Ducere.“

Vs. 157.

Pace serena. Eadem verba leguntur Theb. III, 372 sqq. „Et nunc vestra quidem maneant in pace serena Moenia.“

Vs. 159.

Nec pudeat, Phoebea chelys si creditur cet.
Sic cum Bersm. et Reichardo distinxi. Ceteri

comma post chelys demum ponunt, quae ratio vix defenditur talibus verbi p u d e t cum nominativo structurae exemplis, qualia sunt L u c a n, VIII, 494. sqq. „Semper metuet, quem saeva pudebunt.“ Dictio enim illa n e c p u d e t alias semper cum Infinitivo juncta legitur, velut Virg Georg. I, 79. sqq. „Arida tantum N e saturare fimo pingui p u d e a t sola.“ C a l p u r n. Ecl. V, 39 sqq. „te quoque n o n p u d e a t humeris portare tuis.“

Weberus vers. 159 sqq. invito poëta in textu propagatos esse putat, quum fuerint prima quondam adumbratio ejus sententiae, quam felicius expresserit versu 157. sqq.

Vs. 161.

Petr. „s i c m o v i s s e f i d e m s a e v u s n a r r a t u r A c h i l l e s“, sicque Bersm., nisi quod hic f i d e s scripsit, nulla sane causa.

Vs. 162.

De sententia confert Wernsd. Silv. IV, 4, 34 sqq. „Major post otia virtus. Talis cantata Briseide venit Achilles Acrior, et positis erupit in Hectora plectris“!

P r i a m e i u s H e r o s. Petr. p r i m a e v u s, inepte. Pro h e r o s autem Wernsd. corrigendum censebat H e c t o r, parum commode hanc vocem v. 164 repeti ratus, in qua re ei adsensit Weberus. Sed in Statio non est, quod offendamur talibus repetitionibus. Sic enim eodem modo Achill. II, 316 „Laërtius heros“ et paulo post versu 328 heros Aeacides.“ Itemque I, 538. „Calydonius heros,“ et versu 551. „Peleius heros.“

Vs, 164.

E x t u d i t. E x t u l i t, uti a nonnullis editum est, in textum recepit Reichardus, verbo e x t u d i t difficultatis quandam notionem inesse ratus, quae huic loco minime conveniat, propterea quod melos, quod tundatur, nullo modo dulce esse possit. Sane facilis in mss. verborum e x t u l i et e x t u d i confusio est. Sed e x t u d i t mihi translatum videtur e V i r g., qui Georg IV, 315. „Quis Deus hanc, Musae, quis nobis e x t u d i t artem?“ Praeterea e x t u d i t aptissime dici patet de carmine, quod profertur, dum chordae pulsantur.

Vs. 165.

Pelias, sc. hasta, uti saepius plene dicit Ovidius. Hesychius: Πηλιὰς, ἰδίως τὸ τοῦ Ἀχιλλέως δόρυ.

Versus 166 — 177 incl. post versum 196 transponendos mihi videri, in proleg. pag. 8 significavi.

Vs. 166.

Rotare. Similiter substantivo rotatus usus est Noster Achill. II, 417. „Didici, quo Paeones arma rotatu, Quo Macetae sua gaesa citent.“

Vs. 167.

Inque gradum—consistere. Fuit, quum I. Lipsii emendationem Saturn. II, 20. propositam probarem: inque gradu consistere. Similiter enim dictum videbatur, quod contulit Lipsius, Senec. de const. sap. II, 16. „Quum alter vulnus premit et constat in gradu“ cui loco addi potest ejusdem scriptoris locus Consol. ad Polyb. 21. „Omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere, utrumne statim percussus arma submiseris, an in gradu steteris.“ Similiter loco a Wernsd. allato Ovid. Met. IX, 42. „Inque gradu stetimus certi non cedere.“ Sed nostro tamen loco accusativo ratio constat ob verbum consistere, quod significat eum standi modum ingredi, quo inter se pugnant pugiles. Eadem accusativi ratio est Pseudo-Tibull IV, 1, 101. Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen“; Sil. Ital. X, 463 „domini consistit in ora jacentis.“ Luculentius hanc artem athleticam describit Noster Theb. VI, 766 sqq. quem locum jam Wernsd. contulit.

Vs. 168.

Simul, simul. Similiter juxta posita. Theb. IX, 41. „Membra simul, simul arma ruunt.“

Vs. 169.

Super orbibus orbes. In soluta oratione diceretur: alios super alios orbes. Nostro loco similis ille Culicis 247. „Atque alias alio super densat agmine turbas.“ P. Mela III, 10. „Subinde aliis super aliis innascentibus.“

Vs. 170.

Flectis. Petr. pectis.

Vs. 171.

Vivaci. Casp. Barthius Advers. XXVII, 13. e libro ms. hunc versum ita scriptum adlegat: „Et nunc scrutaris vitalia pectora dextra.“ Sed recte monuit Wernsd., vitalia absolute dici, non adjecta voce pectora.

Scrutaris, i. e. percellis. De vera vulneratione posuit Noster Theb. I, 615. „Imas animae mucrone corusco scrutaris latebras,“ I, 426 sqq. „scrutatur et intima vultus Unca manus“ Senec. Medea 1013

sqq. „Scrutabor ense viscera et ferro extraham.“ Senec. de providentia 6 „Non sunt vulnere impresso penitus scrutanda praecordia.“

Vs. 172.

Nec opino. Theb. VI, 585 conjuncte scribitur „necopino fine.“ Sed item nec et opinor disuncta leguntur Theb. VI, 881 „tergo nec opinus inhaeret; IX, 223 sqq. „nec opinaque ferro Colla metens linquit truncos post terga cadentes.

Vs. 174.

Geminare pilam i. e. repetito ejus pulsu uti. Theb. VI, 783 sqq. „geminatque rotatas Multiplicatque manus.“

Revocare cadentem. „h. e. follem, qui forte in terram decidens resultat, denuo impellere, et sursum jacere.“ Wernsd. Excurs, X, p. 400.

Vs. 175.

Fugientem reddere. „Sc. si pila longius fugere atque extra spatium circuli cadere videbatur, poterat celeri corporis conversione, gestu, saltu, quem nemo suspicaretur aut speraret, rejici et revocari, ut redderetur circulo ludentium. Hoc fere iisdem verbis in ludo pilae describendo expressit Manilius lib. V, 165 sqq.

„Ille pilam celeri fugientem reddere planta,
Et pedibus pensare manus, et ludere saltu,
Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis.

Wernsdorf. Excurs. pag. 404.

Pro gestu Petr. habet caestu. De non speratо autem cf. Theb. VI, 506. „Socero reddit haud speratus Adrasto: V, 462. „Et non speratis Lemnos clamatur alumnis“; VI, 732. sqq. „Tandem insperatus nuda de plebe Laconum Prosilit Alcidamas.“

Vs. 176.

Haeret in haec populus spectacula. Pro in melius scriptum iri Wernsdorfius putabat ad collato loco Cic. Acad. IV, 3. „Ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tamquam ad saxum adhaerescunt.“ Sed magnopere eum fefellit opinio. Etenim haerere in aliquid aliquis per brachylogiam quandam ita dicitur, ut haerere in aliqua re cogitetur, dum intentus est ejus animus in eam. Satis constat, saepius verbum aliquod talem constructionem adsciscere, qualem id verbum habet, quod quasi mente

positum fingitur. V. nunc de ea re copiosius exponentem Kritzium ad Sallust. Jugurth. 102. Sic Noster Silv. V, 2, 115 sqq. de Crispino: „(Vidi te), Pendentem in cursus“, quod ex imitatione dictum Virgilii Aeneid. V, 147. „Pronique in verbera pendent.

Totaque turba. Similiter Achill. I, 613. „Attonito stat turba metu sacrisque relictis Illum ambire libet.“

Sudabunda. Haec vox alibi non legitur.

Vs. 178.

Studiorum pondere. Similiter Theb. IV, 38. sqq. „Rex tristis et aeger Pondere curarum“; IX, 575. „Per attonitas curarum Pondere noctes.“

Vs. 179.

Lusus movere. Similiter verbo movere usus est Noster Silv. I, 2, 49 sqq. „Vacat apta movere colloquia“; Theb. XII, 183. „Tunc movet arte dolum.“ Sic jam Virg, Aen. VII, 641 „Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete.“

Vs. 180.

Callidiore modo. Frequenter adjectivo callidus usus est Noster. Sic Theb. II, 784 sqq. „Haec circum spumis lunaribus ungit Callidus; II, 334 sq. „Quos callide motus, quamve fugam moliris; VI, 774 „Necopinum interserit ictum callidus; X, 724 sq. sibi callidus ista Tiresias nataeque canat.

Vs. 181.

Vitreo milite. Eodem modo lusum hunc designat Martial VII, 72, 8 sqq. „Sic vincas Noviumque Publiumque, Mandris et vitreo milite clausos.“

Vs. 182.

Niveus — albos. Eadem synonyma juxta ponit Noster Theb. VI, 324 sqq. „Ipse habitu niveus, nivei dant colla jugales: concolor et albis cassis et infula cristis.“

Nunc et. Ne quis et nunc transponendum putet, cf. Sil. Ital. IX, 622 sqq. „Nunc jaculis, nuncet saxis, nunc alite plumbo Eminus incessunt.“

Vs. 187.

Stetit in speculis. Alias dicitur in speculis esse vel sedere, ut Noster Theb. IV, 528. „In speculis mors atra sedet, dominisque silentes Adnumerat populos“; VI, 539 sqq. „Contra autem frustra sedet anxia turre suprema vestias in speculis.“

Similiter Plin. Panegyr. 86. „Stetit Caesar in illa amicitiae specula.

Vs. 190.

Obligat. Non male conjecit Werns. adligat, ut v. 182, et Senec. Ep. 117, quem locum citavit Wernsd. „Nemo, qui ad incendium domus suae currit, tabulam latrunculorum perspicit, ut sciat, quomodo adligatus exeat calculus.“ De re haec scribit Wernsd. „Alligabat aliquis calculos, si ita obsidebat calculis suis adversarium, ut moveri sine periculo non posset: tollebat, si quem nondum et indefensum deprehenderet et medium inter duo discolores intercludere posset.“

Vs. 191.

Fracta mandra. Diserte veteres mandras a latronibus distinguunt, eisque non tam pugnam, quam reliquorum custodiam et munitionem tribuunt. Martial. lib. VII, 72, 7: „Sic vincas Noviumque Publidumque Mandris et vitreo latrone clausos,“ et Noster versu 191: Ut citus, et fracta prorumpat in agmina mandra. Proprie alias mandra dicuntur jumenta, carri, plaustra cum aurigis et equisonibus, quae in unum coacta vias occupant et claudunt, ut transiri nequeat. Sic Martial. V, 22, 7: „Vixque datur longas mulorum rumpere mandras.“ Et disertius Juvenal. Sat. III, 226.: — — — „rhedarum transitus arcto Sicorum in flexu et stantis convicia mandrae Eripient somnum Druso, vitulisque marinis.“ In exercitu et proelio hoc frequens est, ut impedimenta in unum conducta et nexa, quasi vallum, objiciantur, calones militesque alii ad ea custodienda relinquantur. Igitur per mandras in latrunculis recte puto viliorem latronum turbam significari, easque in acie latrunculorum instructa idem praestitisse, quod in exercitu impedimenta, lixae et calones. His mandris objectis quia reliqui latrones ita tegebantur, ut nisi iis disjectis capi non possent, hinc mandras quasi vallum et moenia esse dicit noster v. 192. „Clausaque dejecto populetur moenia vallo.“ Quem usum plane confirmat Hesychius: Μάνδραι, ἕρκη, φραγμοὶ, ὕλαι, σηκοὶ βοῶν καὶ ἵππων. Scaliger mandras in lusu latrunculorum equites dici putat, forte quod equi possunt ad mandras referri. At in mandris non sola jumenta, sed praecipue equisones, aurigas et viliores quosque homines intelligendos, e loco Juvenalis supra recitato abunde patet. Neque convenire alii generi magis, quam huic potest, quod a Saleio val-

lum et munimentum reliqui agminis dicitur. Multo minus probare Salmasii sententiam possum, qui in comment. ad Vopisci Proculum p. m. 738 existimat, mandras, septa, vallos vocari loca illa sive sedes in tabula, in quibus veluti clusi tenebantur latrunculi, et, si calculus in discoloris calculi sedem dicatur impetum facere, ut eum capiat, et sede sua pellat, tum mandram eius sive vallum frangere intelligi. Enim vero haec interpretatio ex ipsis verbis Saleii haud difficulter refelli potest. Nam si mandrae sunt calculorum sedes et stationes, unusquisque calculorum suam mandram habet, neque Saleius mandram distinguere ab agmine latronum potuit, ut diceret: et fracta prorumpat in agmina mandra. Etenim in sede vel area calculorum nihil est, quod pro vallo aut septo calculi haberi possit. Lineae, quibus inclusae sunt areae, ad distinguendam calculi stationem valent, non ad muniendam. Neque igitur in calculo tollendo mandra ulla aut septo frangendo opus est. At si mandrae sunt viliores et infirmiores calculi, qui reliquos custodiae causa circumsistunt et tegunt, ut re vera hodie fit in ludo scachorum, tum intelligi demum potest, quid sit fracta mandra in agmina prorumpere. Confirmare aut illustrare notionem mandrae, quam dedimus, videtur quod Graeci tabulam πόλιν vocarunt, et calculos κύνας. Pollux lib. IX, c. 8.: τὸ μὲν πλινθίον καλεῖται πόλις, τῶν δὲ ψήφων ἑκάστη κύων. Etenim πόλιν dictam esse existimo non nudas regiones tabulae; quod aliis placere video, sed quod Saleius moenia et agmina ipsam calculorum turbam in stationibus suis dispositam, qui collecti quasi civitatem efficiunt, vel urbem tenent: κύνες autem praecipue sunt ii calculi, qui mandrae nomen apud Latinos habent, quod reliquis appositi calculis urbem tanquam custodes cingunt.“ Wernsd. excurs. XI. pag. 410. sqq.

Vs. 193.

Sectis contra Senftlebenii septis conjicientis conatum bene defendit Wernsdorfius, scribens: Secti milites sunt divisi in duo agmina. Contulit Ovid. Remed. 443. „Secta mens, i. e. quae affectum partiatur in duos“, et Horat Carm. III. 27. extrem. „Sectus orbis“ i. e. pars orbis ab altera divisa. Adde e Nostro Theb VIII, 64. „et sectum genetrix mihi computat annum“ quae Pluto de Proserpina dixit, quae alteram anni partem apud ipsum transigere cogebatur.

Vs. 195.

Spoliatus. Jta cum Junio scripsi — Vulgo cum ceteris legebatur spoliata. Sed nostra lectio hoc ipso praestat, quod inservit variandae constructioni.

Vs. 197.

Emenso Olympo. Ex Virg. Georg. I, 450. de sole. „Emenso quum jam decedet Olympo.“

Versetur explicabat Wernsd. dictum esse pro vergit in occasus. Sed cum versari vix habere possit hanc significationem, recte coniecisse Wernsd. puto mersetur. Contulit Senec Thyest. 777. „O Phoebe patiens, fugeris retro licet, Medioque ruptum merseris coelo diem“; et Lucan, IV, 282, „Substituit merso cum nox sua lumina Phoebo.“ Ipsum frequentativum mersare de sole Columell. X, 293. „cum Phoebus equos in gurgite mersat Hibero.“

Vs. 200.

Verba Nostri certus arcte connectenda, plane ut Theb. X, 669. de Menoeceo „Gaudet Cadmeia plebes Certa tui.“ Ceterum ad rem cf. Silv. I, 2, 256 sqq. „Me certe non unus amor simplexque canendi Causa trahit.“

Vs. 203.

At voluisse sat est. Contulit Bersm. Pseudo-Tibull. IV, 1, 7. „Est nobis voluisse satis“; Propert. III, 16, 6. „In magnis et voluisse sat est.“

Jacto. Similiter Ovid. Met. XI, 153.“ Pan ibi dum teneris jactat sua carmina Nymphis.“

Vs. 204.

Canemus. Scalig. Pyth. tenemus, uescio qua auctoritate, nisi forte ita scribendum esse putaverunt simili loco permoti Cic. V, de Fin. 5. §. 49. „Nos grave certamen belli clademque tenemus“ ubi P. Cratand. canemus manifesta interpolatione. Nostro tamen loco certe tenebimus dictum oportuit.

Vs. 205.

Et vires dabit ipse favor. Obversatum fuisse poëtae putasse videtur Bersm. Ovid. Fast. I, 17. „Da mihi te placidum; dederis in carmina vires.“

Vs. 208.

Imperiosa Fames. Eodem prorsus modo Plin. Hist. Nat. XXIX, 1,: „Inedia imperiosa“; Quinctil. Declam. XII, 11,“ „longi jejunii imperiosa necessitas.“

Saeva libido. Similis adiectivi saevus usus reperitur

Silv. II, 1, 214. „His amor exitio, furor his et saeva cupido“, ubi tamen insigni temeritatis exemplo Markland. ex compluribus aliis poëtarum locis emendandum caeca esse censebat, non minus, quam simillimo loco Juvenal. XIV, 175. „Saeva cupido Immodici census.“

Vs. 209.

Impulerit. Sic cum Junio scripsi. Vulgo cum ceteris impulerant legebatur, pro quo Wernsd. sine causa impulerunt corrigendum putabat. Sed neutrum loci sententiae convenit, quippe quum poëta animi vitia illa etiamnunc a se abesse manifesto significet.

Vs. 211.

Sublimior ibo. Comparavit Wernsd. Horat. Carm. I, 1. extrem. „Sublimi feriam sidera vertice.“ At Noster translato sensu dixit pro magis eminebo. Proprio sensu Sil. Ital. XIV, 384. „Medias inter sublimior ibat Terribilis visu puppis.“ Omnino familiaris Statio adjectivi sublimis usus est pro insignis. Sic Silv. I, 4, 35. „Fandique opibus sublimis abundas“; IV, 4, 43. „Qua (sc. hasta) tibi sublimi jam nunc celeberrima fama Eminet.“

Vs. 212.

Si famae mihi pandis iter. Comparavit Wernsd. Calpurn. Ecl. VIII, 84. „Namque huc e silvis praesens tibi fama benignum Stravit iter, rumpens livoris nubila plena.“ Et sic prorsus Noster Theb. XII, 812 sqq. „Jam certe praesens tibi fama benignum Stravit iter coepitque novam monstrare futuris.“

Vs. 213.

Abdita — vena. Obversatus Nostro videtur Horatii locus a Wernsd. adlegatus Carm. II, 2. „Nullus argento color est avaris Abdito terris. —“

Vs. 214.

Inerti portu. Conferri jussit Wernsd. Lucan VI, 107: „Aequora inertia“ i. e. quae navigationem impediunt. Aptius confertur Sil. Ital. V, 121 sqq. „An, Corvine, sedet clausum se consul inerti Ut teneat vallo.“

Condita. Sic prorsus Sil. Ital. XII., 437 sqq. „Classem, quae condita portu Adstabat.“

Vs. 216.

Gerat. Sic cum Petr. Bersm. scripsi. Ceteri ferat frequenti permutatione. Praetuli gerat, quod solenne verbem de iis est, qui naturaliter aliqua re in-

structi sunt. Similiter prorsus Lucan. IV, 423 sqq. „Nec (ratis) gerit expositum telis in fronte patenti Remigium.“ Rarius dicitur ferre, velut Pseudo-Tibull III, 5, 2. „Sic hedera tempora vincta feras.“

Fluentia vela. Sic eodem modo Theb. VII, 141 „Vela fluunt, laxi jactantur ubique rudentes.“ Fluitantia vela dixerunt Ovid. Met. XII, 270; Plin. Panegyr. 84.

Vs. 217.

Excusso rudente. Sic prorsus Caes. Germ. Arat. 155. „Dem potius ventis excusso vela rudente.“ Uterque ex Virg. Aen. III, 267, quem locum contulit Wernsd. „Tum litore funem deripere, excussosque jubet laxare rudentes.“

Vs. 219.

Pulsat Olympum. Contulit Wernsd. Virg. Aen. XI, 836 sq. „Immensus surgens ferit aurea clamor Sidera.“ Magis huc pertinet Sil. Ital. IX, 450 de Marte „Ac pulsat fulva consurgens aethera crista.“ Virg. Aen. III. 619 sqq. de Cyclope. „Ipse arduus altaque pulsat Sidera.“

Vs. 223.

Si Maecenate careret pro: si Maecenate caruisset Eodem modo post si imperfecti conjunctivus legitur his locis: Achill. II, 93. sqq. „Quod nisi praecipitem blando complexa moneret Deidamia sinu cet — Argolicis ducibus jam tunc patuisset Achilles; Theb. VIII, 512 sqq. „Ipsa heu comes invia mecum Tartara, ni superos Acheron excluderet, isses.“ Cf. Martial. I, 11, 3 sqq.; Sil. Ital. XIII, 254 sqq.; V, 298 sqq.; Manil IV, 49. Multo frequentiorem eam constructionem apud solutae orationis scriptores esse satis constat.

Vs. 224.

Patefecit limina. Casp. Barthius Advers. XXII, 22. conjecit lumina, recte improbante Wernsd. Non dissimiliter Noster limina posuit Theb. XII, 260 sq. „Nec surda pulsabimus urbis Limina.“

Vs. 225.

Nomina. Numina solus Bersm. quod a Casp. Barthio perperam praelatum esse Advers. XXIV, 24, non est, quod pluribus doceam.

Vs. 226.

Gestu. Sic cum Junio et Scaligero scripsi. Recte enim jam Wernsd. et Reichard. hanc lectionem prae-

ferendam esse viderunt veteri et vulgatae caestu, quae prorsus aliena est ab hujus loci sententia, in quo tragoediarum in theatro agi solitarum mentio injicitur, ad quas proprie pertinet gestus. Tamquam tragicus laudatur Varius Martialis loco, quem Wernsd. adlegavit. VIII, 18, 7. „Et Vario cessit (sc. Maro) Romani laude cothurni, Cum posset tragico fortius ore loqui.“

Vs. 227.

Evexit. Petr. Bersm. erexit, male. Cf. Virg. Aen. VI, 130 „quos — ardens evexit in aethera virtus.“

Vs. 228.

Alta tonantis. Sic e Petr. Bersm. scripsi. Alta dictum, quomodo Horat. Sat. I, 6, 43 „Magna sonabit“ coll. Juvenal. Sat. VII, 108. „Ipsi magna sonant“; Valer. Flacc. III, 198. Ophelten vana sonantem.“ Jun. alta toantis, unde ad hoc tempus inepta lectio Thoantis in textu permansit, etsi praeclare ejus perversitatem perspexerat Wernsd., qui tamen sine causa mutandum censebat: alta sonantis vel sonantum. Quae lectio unde originem traxisset, recte intellexisse mihi Casp. Barthius videtur, qui admonuit, Charisium lib. I, grammat., ubi de nominum propriorum in 5 declinatione agit, Maecenas, Maecenatis, Thoas, Thoantis conjunxisse; atque hinc venientem aliquem ad lectionem hujus poëtae Maecenati etiam Thoantem comitem dare voluisse. Reichard. recte ad unum Varium verba illa referri judicavit, ita ut et alta recte se habeat et tonantis vocabulo ratio constet, cum tragicis utique poëtis haec significatio egregie conveniat. Simili orationis conformatione Noster Theb. V, 157 sq. „Sed fallit ubique mixta Venus, Venus arma tenet, Venus admovet iras.“ Silv. V, 2, 41. „Bolanus iter praenosse timendum, Bolanus tutis juga quaerere commoda castris, metari Bolanus agros.“ Casp. Barthius Advers XXIV, 14 mira audacia conjecit ulta Latinos, quam conjecturam mireris peregregiam visam esse Wernsdorfio. Defendit autem eam Barth. hoc modo: „Lis erat quaedam inter poeticam Graecorum et Latinorum. Cedebant longe Latini, Enniis, Naeviis Pacuviis suis impares Graecae venustati. Ulta sunt Latinorum causam tot divina nomina, quae et Graiis se opponere possent, paupertatis obstaculis repulsis fecit lucem poëtis Maecenas.“

Vs. 228.

Eruit. Eodem modo hoc verbo usus est Horat. Sat. I, 4, 25. „Quemvis media erue turba; Epist, II, 2, 115. „Obscurata diu populo bonus eruet.“

Vs. 230.

Patefecit. Idem verbum jam supra legebatur v. 224. De hoc Statii more disseruit F. Hand, ad Silv. I, 2, 147.

Vs. 231.

Et toto aevo. Petr. Bersm. in totum aevum. Ceterum conf. Virg. Georg II, 39 sqq. „Tuque ades, inceptumque una decurre laborem, O decus, o famae merito pars maxima nostrae, Maecenas.“

Vs. 232.

Pierii tutela chori. Sic Martial. VII, 69, 8. „Non tua Pantaenis nimium se praeferat illi, Quamvis Pierio sit bene nota choro.“

Tutela. Sic Horat. Epist. I, 1, 123. de Maecenate: „rerum tutela mearum.“ De re conferri Wernsd. jussit Martial. VIII, 56, 9. „Risit Tuscus eques, paupertatemque malignam Repulit.“ Et mox: „Quid Varos Marsosque loquar Ditataque vatum Nomina, magnus, erit quos numerare labor.“

Vs. 233.

„Inopi timuere senectae. Ex Virg. Georg I, 186. „Inopi metuens formica senectae.“

Vs. 238.

Si tamen. i. e. *Wenn anders.* Hac significatione hae particulae conjunctae leguntur Plin. Epist. IX, 25, 3; Panegyr. XX; Martial V, 74, 2; VII, 52, 2; Calp. Ecl. IV, 4, 157. Primus, quod sciam, adhibuit Ovid. Trist. III, 14, 241; Met. IV. 537.

Vs. 239.

Et Deus ultor abest. In margine ed. Petr.: „Et Deus auctor adest“, quae lectio hujus loci sententiae aperte repugnat, in quo Nemesin significari recte jam monuit Bersm.

Animosa voluntas. Sic plane Noster Theb. IV. 80: „Letique animosa voluntas“; VI, 821 sqq. „Luctandi animosa gloria“; XII, 451 „animosaque leti spes.

Superest, i. e. large adest. Hac significatione frequens est hoc verbum argenteae potissimum aetatis scriptoribus. Nostro loco simillimus est Juvenal XIII, 257 „Quum scelus committunt, superest constantia.

Vs. 240.

Contulit Wernsd. Ovid. Her. XII, extrem. „Nescio quid certe mens mea maius agit.“

Vs. 241.

Tu nandi. Pro his verbis Audenti emendandum putabat Santenius, qua coniectura pulcherrima imago simul et dictio corrumpitur. Nam primum eorum, qui, cum in flumine aliquo natent, jamiam perituri videntur, cum poëta nostro comparatio, qui ob tenuitatem aliorum opis indigebat, aptissima est, id quod ex Ovidii locis a Wernsd. allegatis patet. Trist. V, 9, 17. „Naufragiumque meum tumulo spectarit ab alto, nec dederit nanti per freta saeva manum“, et Pont. II, 6, 15.: „Brachia da lasso potius prendenda natanti, Nec pigeat mento supposuisse manum.“ Deinde emphatica pronominis tu iteratio egregie convenit iis, qui instanter petunt aliquid, ut Silv. II, 1, 230. „Tu pectora mulce, Tu prohibe manare genas.“ Virg. Aen. VII, 31. „Tu vatem, tu, diva, mone.“

Vs. 242.

Exsere, sc. supra vulgum. Sic Sil. Ital. I, 29 sqq. „Ubi magnanimis Romam caput urbibus Exserere — videt.“

Non humilis domus. Sic de conjectura mea scripsi, cujus rationes expositae sunt Prolegom. pag. 11 sq.“

Vs. 246.

Subscribis, i. e. faves. Sic prorsus Columell. I, 2. „Quod si voto fortuna subscripserit.“ Hunc translatum verbi subscribere usum latius patere intelligitur his locis: Cels. III, 4. „Is enim cubantis etiam luxuriae subscripsit; Val. Max. III, 3. „Atque huic animi eius judicio subscripserunt;“ V. 7, 2. „Thesea nefandis Pirithoi amoribus subscribentem“; Plin. Epist. X, 96. „Tuo enim desiderio subscripsi.“

Vs. 247.

Quam sibi ipse hoc loco tribuit laudem Statius, hanc eandem aliis quoque locis celebrat. Sic Silv. V, 2, 12. sqq. de Crispino: „octonos bis jam tibi circuit orbes Vita; sed angustis animus robustior annis Succumbitque oneri, et mentem sua non capit aetas“; Theb. VI, 749. sqq. „Hic paulo ante puer, sed enim maturius aevo Robur et ingentes spondet tener impetus annos.“

V. 248.

Juvenile decus. Comparavit Wernsd. Silv. II, 1, 53. „Genis optatus honos“; Calpurn. Ecl. II, 89. „Flore juventae induimus vultus“ Adde Virg. Aen. VIII, 160. „Tum mihi prima genas vestibat flore juventa.“ Ceterum ut Statius de hac re pingere malas dixit, sic prorsus Martial IX, 77, 4. „Gaudebatque suas pingere barba genas.“ Similia habet Markland. ad Silv, III, 4, 63.

Vs. 249.

Aestas. Bersm. inepte aetas. Similiter Martial. I, 101, 4. „Quarta tribus lustris addita messis erat.“ Virgil. Georg IV, 207. de equo „neque enim plus septima ducitur aestas.“

Vs. 250.

Jam validae. Sic cum Petr. Bersm. scripsi. Vulgo tam legebatur cum Jun., cui particulae hic locus non est, cum tam validae poni non possit pro sufficientis. Ceterum validus similiter usurpavit Noster Silv., II. 1, 126. sqq. de Glaucia: „Jam tamen et validi gressus, mensuraque maior Cultibus, et visae puero decrescere vestes“; V, 2, 62. „Nondum validae tibi signa juventae Irrepsere genis.“

Vs. 251.

Contulit Wernsd. Virg. Aen. II, 638. Vos o, quibus integer aevi, Sanguis — solidaeque suo stant sanguine vires.“

Vs. 252.

Voces. Santenii dotes pro voces reponentis conjectura et toti sententiarum nexui repugnat, cum supra jam enumeratae sint Pisonis dotes, et ipsi verbo eferre, quod hoc loco idem significat, quod versibus includere Pisonis dicta. Accedit, quod, si hoc sensu accipietur locus, comparatio plane inutilis est futura.

Vs. 253.

Locus plane geminus extat Silv. IV, 4, 97 sqq., ubi poëta rite canendis Domitiani factis parem se esse diffidit, his quidem verbis: „Stabuntne sub illa Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix?“

Vs. 255.

Sic nec. Junii lectionis sed nec, quam a Cortio et Reichardo expressam videmus, versu 259 satis ar,

guitur pravitas. Sed et sic saepenumero a librariis confusa esse, satis norunt, qui libros mss. versarunt.

Pandionis ales. Similiter Theb. VIII, 616. „Pandioniae volucres.

Vs. 256.

Improba. Improbi dicuntur, quicunque adgrediuntur rem, quae ipsorum virium modum excedit. Sic saepe Noster, velut Silv. I, 6, 54. „Pugnas capit improbus viriles“; II, 1, 106 sqq. „Ille velut primos exspiraturus ad Austros Mollibus in pratis alte flos improbus extat“; Theb. IV, 319. „Teneroque unde improba pectore virtus“; VI, 797. „Adsurgentem alio puer improbus ictu Perculit.“

Vs. 258.

Rapido soli. Rabido male emendabat Santenius, sine dubio rapido, quo epitheto saepissime Sol ornatur, correcturus, si libri rabido exhibuissent. Etenim dici vix potest, quoties rapidus et rabidus a librariis confusa fuerint.

Faciunt convicia. „Convicium de magno multorum et confuso clamore vel strepitu. Ovid. Met. V, 677. „Nemorum convicia picae“ et Colum. lib. X, 12. „Perpetitur querulae semper convicia ranae.“ Wernsd. Nostro tamen loco ob adjectum verbum facere, quae dictio alias de hominibus usurpatur, similior est locus Phaedr. III, 16, 13 sqq. „Cicada acerbum noctuae convicium Faciebat.“—

Vs. 260.

Plura supersunt. Similiter finitur Calpurn. Ecl. V, 119. „Plura quidem monuisse velim: nam plura supersunt. Sed jam sera dies cadit, et jam sole fugato Frigidus aestivas impellit Noctifer horas.“

Corrigenda.

Pag. VI. lege aetatum pro aetatem.
— VII. — relinquantur pro reliquantur.
— IX. dele se ante verba: omnes facile intellectu.
— XV. lege editione pro editinoe.
— 4. pone comma post Posthume — deinde lege Memmiosque pro Memiosque.
— 6. lege sine dubio pro sine dubi.
— 7. inter verba judicaret et Wernsdorfius comma delendum.
— 10. lege triennio pro tricenio.
— 13. — Graiam pro Graia.
— 14. ἐπί pro ἐπί. Paulo infra post v. 92. comma delendum.
— 17. scribe 1833. pro 1834.
— 19. lege dispicendum pro disspiciendum.
— 29. in v. 80. lege referens pro reserens.
— 38. Inter verba: ferri et Tunc iras pro puncto comma ponendum.
— 44. lege auctionum pro auctionem.
— 45 — remissus pro remisus. Deinde excursum pro ecursum.
— 47. dele punctum inter verba ingens et Dicitur.
— 48. — 11 post v. 9. Deinde lege Caesare pro Caesarie.
— 52. lege a W. pro a V.
— 66. — Socero redit pro Socero reddit.
— 67. ult. lin. lege Sestias pro vestias.
— 73. lege in es decl. pro in 5 decl.

Schinner

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Statius, Publius Papinius,

Ad Calpurnium Pisonem poemation

Onold. 1835
A.lat.a. 1807
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10242837-2